Goldbergensis

Scholae Goldbergensis denuo apertae fama publica.

Scholæ Goldbergensis denuo apertæ Fama publica.

Typis divulgata Ligiis
Nicolai Sartori.
***

JEHOVÆ.
OPTIMO. MAXIMO.
SCHOLARCHÆ.
ET.
SOSPITATORI.
ÆTERNOS.

AURIMONTANA.
ILLUSTRIS.
SILESIÆ. SCHOLARUM.
ANTIQVISSIMA.
cum. HOSPITA. URBE. INGENTIUM.
CALAMITATUM. PERIODIS.
DEFUNGENS.
ET SUBINDE. CON-
VALESCENS.

TAN-

TANDEM. FATALI. RERUM. DEPOPU-
LATRICE. FLAMMA. DESOLATA.
ET IN CINERES.
NON. SINE. ULTIMA. UTRIUSQ. REI-
PUBBLICÆ. CLADE. ET LACRU-
MIS. VERSA. ANTEHAC.

NUNC. DIVINO. AUSPICIO. DUCTU.
ILLUSTRISS. PRINCIPIS. AC.
DOMINI. DOMINI.

GEORGI RUDOLPHI

SILESIÆ. LIGNICENSIS. BRIG. ET.
GOLDBERGENSIS. DUCIS.

PROPITI. MUSARUM.
PATRONI.

AB. INTERITU. VINDICATUR.
E. CINERE. EXCITATUR.
IN. PRISTINÆ. DIGNITATIS.
SPEM. ERIGITUR.

Cujus. MERITI. MEMORIA.
Ut. APUD. MORTALEIS. IMMORTALIS.
EXSTARET.
Quicquid. NATALI. SCHOLÆ. ALTERO.
SOLEMNITATIS. E. PRINCIPALI.
AUCTORITATE. ET. PRÆSEN-
TIA. INTERVENIT.
UNA. CUM. SCHOLASTICÆ. POLITIÆ.
RECENSIONE.
VELUT. REI. BENE. GESTÆ. TABULA.
IN. FAMÆ. TEMPLO.
OB. MUSAS. RECEPTAS. SERVATASQ.
LITERAS.
MONUMENTUM. PERPETUUM.
PP. ET. DD.
ÆTERNITATI.

SERENISSIMI. PRINCIPIS. NUTU.
RECTOR. ET. COLLEGÆ.
DD.

Ad

Ad tuos verò hæc fieri pedes decet,

PRINCEPS SERENIS INSTAURATOR SCHOLÆ FELICIS.

PATRONE CELSIS.

Filia enim tua est & Alumna, quā postliminio restitutam dotas, Schola: nos apud istam tui Servi, aut verius instrumenta Delphica, ad usum, quem voles, parati. Ignosce autem, quòd seriusculè votum solvimus. Duo sunt ad constituendum πολίτευμα * *necessaria: Civium chaos, ut sic dicamus; & Jura, quibus tam Forma Civitatis inducitur; quàm Salus publica Universis conciliatur. Dudum autem est, ex quo cogitavimus de mediis, quibus Respublica hæc literaria reefflorescere posset: nec fortasse fugiunt, quæ ad eam rem, judicio Bonorum Doctorum factura. Uti nihilominus nos nostris Legibus, & Oeconomiam Civitatis absolvere,* ἐρημία * *& infrequentia civium*

* civile regimen.

* Solitudo.

hactenus, nescimus quomodo prohibuit. Nunc postquam Civitas à Juventute nobili frequentari cœpit: multisq; præclaris viris loci hujus Genialis commoditas persvadet, ut filios suos ad eos ablegent fontes, è quibus ipsi olim τὸ τῆς Σοφίας πᾶν,* *divinæ humanæq; Sapientiæ liquores hauserunt: nos operæ precium fieri opinati; si apertæ Scholæ fama vulgaretur: collegimus Orationes inaugurales: Diætam literariam, qualis abhinc futura est, recensuimus: totiq; negocio in publicum ituro Principale tuum nomen præscripsimus. Inviderì initiis magnorum operum multa solent: quæ tamen, si contra audentius eatur, facilè exolescunt. Imò Natura hanc legem posuisse videtur: ut principiis negociorum quædam difficultas adnascatur. quæ laborantis ingenium, successu aliàs prospero facilè luxuriaturum, & fortassis haud sine damno deviaturū, lentâ quadam intemperie temperet, futuræq; fortunæ par*

* Sapientiæ universum.

& ido-

& idoneum reddat. Ea verò genuina Virtutis indoles:

Duris ut Ilex tonsa bipennibus
Per damna, per cædes, ab ipso
Ducit opes animumque ferro. Hor. l. 4. O. 4.

Experti nos sub initium novi operis nonnulla: quæ tamen divinâ clementiâ maturè in melius versa. Princeps Deusque

Miti Gymnasium lumine viderint:

de cætero nos securos tutosque innocens προσκαρτέρησις * præstabit. Eâ olim nemo Mortalium fuiße inhumanitate perhibetur, ut Ilio ter diruto insultaret: nec nos speramus fore, qui Aurimontio post tot ruinas convalescenti malè cupiat * παράδειγμα τῶν ἀνελπίστων (verba Aristidis de Smyrnâ instaurata huc transferimus) τὰ τῆς πόλεως γέγονε πράγματα, ὡς οὔτ' ἐξ οὐρίων θέουσιν οὐδὲν ἀπώμοτον, οὔτε λυθείσης τῆς νεώς, ἀνέλπιστον τὸ μὴ οὐ κρεῖττόν τι συμβήσεσθαι. In Thessaliâ cum retorti maris impetu Peneus amenissimus fluviorum hiatum pateretur: omne illud damnum, quicquid in fluminis amenitate desideratum, novo adja-

centis

* obstinata perseverentia.

* Exemplar insperatorum Urbis status fuit: uti secundis ventis aliquid secus futurum non ejurandū, ita nec solutâ nave insperatò quid melius eventurum, desperandum,

centis vallis, quam Tempe vocarunt, ornamento repensum est. In similem venire fortunam Aurimontium nostrum auguramur: cum in ea inciderit tempora, quibus rerum potiris, Serenissime Princeps. Tu enim non modò sanctissimis tuæ prosapiæ Regiæ Heroibus omnia comparandus; sed hoc excellere videris: quod exemplum Serenissimi Fratris, Domini Johannis Christiani Silesiæ Ducis & Præsidis, Patriæ Patris, Musarum Evergetæ inclutissimi, Illustris Bregéi GymnasI Instauratoris magnificentissimi secutus, veteri illâ Aurimontanâ effingere meliorem noris.

Vale feliciter & regna Principum decus, nostra tutela.

Ill. Celsitud. tuæ
devotis.

Rector, Prorector & Præceptores
GymnasI Aurimontani.

M. SIM-

M. SIMONIS GRUNÆI SUPERINTENDENTIS Oratio.

SI qvis unqvam dies, Auditores omnium Ordinum, demiſſé ſuſpiciendi, reverenter honorandi, officioſé colendi, Aurimontio huic noſtro vel fauſtus illuxit, vel exoptatus; Hodiernus profectó longé videri debet illuxiſſe fauſtiſſim9 exoptatiſſimúsq;: Qvippe qvo illuſtriſſimi Principis ac D. D. GEORGII RODULPHI, Ducis Sileſiæ Lignic. Bregenſ. & Goldbergenſis, Principis ac Domini mei clementiſſimi, ad omnem poſteritatem memorabili inſtituto atqve autoritate, id agitur unicè ac impensè, ut hujuſce illuſtris Scholæ, fato qvodam ſuo, temporum an hominum injuriâ aut culpâ antehac functæ, ſi non facies ipſa denuò ſiſtatur, at umbra ſaltem aliqva repręſentetur: imò ut, qvod ab optimis qvibusq; deſiderari credibile eſt, non ad umbram duntaxat qualemcunqve oſtendendam, ſed ad ipſiſſimam, ſi per Dei gratiam fieri qveat, faciem ſuo tempore redhibendam via muniatur.

Lætum haud dubiè opus hoc! Qvod non omnes tantúm hujus opidi cives; ſed & univerſi Ducatus incolæ, favore adplauſuqve meritò comprobent, votíſqve & gratulationibus publicè privatímqve proſeqvantur. Atqvi non minús arduum ac difficile! Etenim non tam inſtaurandæ, qvám de novo aperiendæ Scholæ incumbendum eſt. Qvæ res qvanti ſit momenti, & qvàm eventûs ambigui, in iſtâ præſertim Scholarum hinc inde freqventiâ, ſeculíqve noſtri faſtidio, cordatiores qviqve copiam ſatis uberem habent exiſtimandi.

Verumenimverò benè habet. Bonum curatur publicum. Dei ſpectatur gloria. Hinc vota populi publica prolixè nobis citra omnem dubitationis aleam polliceri auſimus. Hinc ſucceſſus a Deo exoptatos ſpe præcipere prorſus bonâ neutiquam verecundamur. Ac ne vel nobis ipſis vel officio ſaltem noſtro defuiſſe videamur, ad te hinc o æterne ac benigniſſime Deus, o pater luminum, a qvo omnis donatio bona & omne donum perfectum deſuper, animis lingvíſqve noſtris certatim converſi, tuam Majeſtatem, tuam benignitatem ſupplices veneramur:

Reſpice

Reſpice nos propiùs, cleménsqve his annue cœptis;
Da tibi abhinc ſurgat laus, patriæqve ſalus.

Omen in eventu eſt: præſentia numina firmant.
Annuit his Princeps; annuet ipſe DEUS.

Ceterùm poſtqvam ejusdem Celſiſſimi Principis mei juſſu ac mandato, in ſplendidiſſimo hoc Theatro ad dicendum præ reliquis ego ſurrexi; faciendum mihi ante omnia intelligo, ut cognoſcatis, Auditores, qvid de me vobis peculiariter ſit exſpectandum.

Ac primùm qvidem lætarer ex animo, hunc mihi perorandi campum aperiri, & hanc dari occaſionem, ſingulare meum ac perpetuum erga illuſtrem hanc Chryſorin ſtudium prolixè oſtendendi, niſi tenuitatis meæ mihi conſcius, coram politiſſimarum aurium veſtrarum judicio, me vix parem iſti provinciæ futurum, neqve ſatis pro meo ipſius affectu dicturum, ſubvererer.

Nec defutura erant plurima, qvæ a loco & tempore forſan iſthoc non aliena; niſi & loci & temporis, hoc eſt, ipſius illuſtriſſimi, magnificentiſſimi, ampliſſimíqve Conſeſſus habenda ratio, modum orationi qvoqve ſtatuendum ſvaderet ac perſvaderet.

Qvanqvam igitur eximium aliqvod differendi argumentum, undecùnqve erutum aut depromtum, eligere pertractandóqve evolvere, ipsa etiam hujusmodi Scholasticarum consvetudo panegyrium propemodum deposcebat; Non est tamen, Auditores benevolentissimi, qvod tale quid hîc qvidem de me vobis polliceamini: In rem præsentem deducendi estis. Ac materiam dicendi non nisi ipse Actus mihi hodiernus suppeditabit.

Quia enim penitus collapsa est hactenus Schola hæc nostra; Qvia hodie instauranda est denuó; agnoscitis ipsimet opinor; de Ruinæ pariter, déqve Instaurationis susceptæ causis ac modo sermonem meritó instituendum; Ac porrò, qvod hujusce diei proprium qvasi futurum est, Novi Rectoris & Novi Prorectoris inaugurationem legitimé peragendam.

De illo mihi verba, qvám fieri poterit, paucissimis facturo; hoc veró illustrem juxta instructionem publicè acturo, ut gratiosâ æqvanimitatis vestræ aurâ adspiretis, omni qvâ par est subjectione, observantiâ, studio á vobis etiam atqve etiam contendo.

Principio autem, qvod non sine affectu, scio, nec sine commiseratione cogitastis antehac; id nunc haud dubiè non sine gemitu intuemini, qvot-

qvot vel invitati singulariter, vel ultrò Scholasticæ huic solemnitati vacare non estis dedignati. Ipsimet, inqvam, Chrysorinæ nostræ

qvæ sit fortuna videtis.

In propatulo siqvidem est, non tam maxima discentium, parvulorum licet, paucitas, qvám omnimoda propé Corporis Scholastici destructio aut desolatio: Usqve adeó ut, qvod de miserabili primariæ Urbis Palestinæ incineratione atqve excidio Propheta lamentatur: Qvomodó sedet solitaria Civitas, plena (qvondam) populo? Qvasi vidua; Domina (olim) gentium? Egressus est á filiâ Zijon omnis decor ejus: Id de præsente Aurimontii statu non frustra debeamus usurpare. Cujus profectó miseriam exactiús animo comprehendere non poterimus, qvám si priorum temporum conditionem cum hisce nostris conferemus.

Qvemadmodum einm iis ex Dei populo omnium maximé non tristem tantum̃odó, sed & abominabilem fuisse consentaneum est adspectum Hierosolymitanorum Cinerum; qvi in floridâ adhuc conditione Urbem amplissimam magnificentissimámqve uná cum Templi structurâ incomparabili priús viderant:

Ita istud Goldbergensis Scholæ fatum lugubre

nemo æſtimaverit rectiús, niſi qvi ſuperioris ævi felicitatem memoriâ repetens, ante oculos ſibi hanc cum illo pariter contemplandam propoſuerit, majeſtatémqve Scholæ veterem, cum ejusdem hactenus clade ac calamitate comparaverit.

Non eſt verò mihi operoſé alleganda Gymnaſii hujusce illuſtris antiqvitas. Hac enim omnes omninò Sileſiæ, cujuscunq; nominis ſive Scholas, ſive Gymnaſia, longo poſt ſe intervallo relinqvens, noſtrâ omnium confeſſione antecedit. Nam ſicuti ipſe locus hic jam tum ab ipsâ D. Hedwige, Principum noſtrorũ Progenitrice, ſanctiſſimâ fæminâ, cultus divini exercitiis ab initio deſtinatus, iſtúdqve Religioſorum olim Contubernium anno C. 1212. exædificatum & Dominicanæ familiæ fratribus conſecratum eſt: Ita exordium Scholæ hujus annum á Nato Chriſto attingit 1504. Auctorémqve ſecundum Deum, ac Magiſtratûs illuſtris indulgentiam, profitetur V. Cl. Hieronymum Wildenbergium Aurimontanum, qvem adductâ Scholaſticorum annonæ ob caritatem Culmâ Boruſſicâ migrare coactorum coloniâ non contemnendâ, prima ejus fundamenta feliciter ſcimus poſuiſſe. Domicilium verò iſthoc ſpacioſiſſimum commodiſſimúmqve A. C. 1542. demum Fride-

rici

rici 2. Principis præstantissimi liberalitate eidem est attributum. Istam, ajo, antiqvitatis laudem mitto lubens, nec pluribus urgeo.

At freqventia prorsum inusitata, successus omninò admirandi, celebritas plané singularis attendi hîc etiam atqve etiam merentur.

Fuit enim Trocedorfianis potissimúm temporibus confluxus ad hanc Scholam incredibilis, hominum non tantúm vicinis Silesiæ, Lusatiæ, verũ etiam exteris & longé dissitis Poloniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Transsylvaniæ item, Carinthiæ, Moraviæ e regnis ac provinciis studiorum gratiâ huc commeantium. Nec dubitavit beatissimus ipsemet Trocedorfius, in colloqviis familiaribus, qvoties in Scholæ mentionem incidisset, ad amicos sæpissimè hoc uti sermone: Tantum se habuisse discipulorum numerum in Scholâ suâ, ut si in unum cogendi essent illi, justum ex iis exercitum contra Turcam producere posset: Qvod ex Cl. V. M. Henrici Theodori Superintendentis qvondam Lignic. b. m. relatione commemorat in præfatione Rosarii Trocedorfici vir itidem Clariss. L. Ludovicus, Gorlic. Scholæ Rector, ὁ μακαρίτης, gratus Trocedorfii usq; ad extremum vitæ halitum discipulus. Et qvanqvam illa tantopere prædicata Tro-

cedor-

cedorfianæ Scholæ freqventia, ejus mortem ſecuto ſæculo non usqve adeò fuit copioſa aut inuſitata: Nunqvam tamen ita eſt deminuta, qvin mediocris diſcentum cætus aliqvis ſuperfuerit: Imò prioribus maximè viri ab eruditione & pietate commendatiſſimi M. Taburni annis, qvibus Scholaſticæ navis clavum ille tenuit, multitudo etiam non contemnenda hîc locum ſibi vendicavit.

Adhæc ſucceſſus neutiqvam defuit operæ, in juventute bonis artibus, religioſâ pietate, probatísqve moribus imbuendâ, collocatæ. Qvia enim animo ſimplice ſtudióqve indefeſſo officium feciſſe conſtat pleroſq; veteris Scholæ præceptores, Trocedorfium inprimis ejusdémqve Collegas; fructu carere labor eorundem non potuit. Atqve hinc tot doctorum virorum examina in omnes ferè orbis angulos diffuſa; tot Theologi, tot Politici; tot Scholarum adminiſtri; tot Eccleſiarum & Rerumpubl. gubernatores; tot Cæſarum, Regum, Principum Conſiliarii; tot omnium Ordinum Proceres, Trocedorfianâ in Scholâ inſtituti; & id qvidem paulló ante hæc tempora publicè paſſim profeſſi: ut haud ſciam, num qvæ ſchola unqvam fuerit, num qvod Gymnaſium ullibi adeò floruerit, qvod paris ſibi felicitatis laudem potuerit arrogare.

Singulare

Singulare & rarum certè illud iterum hoc loco eſt, de qvo beatum Trocedorfium gloriari non injuriâ ſolitum accepimus: Nullum eſſe vitæ genus, in qvo non ſuorum qvidam diſcipulorum cum dignitate vixiſſent. Et eó qvidem res ſuperioribus abhinc annis devenerunt, ut tum laudi ſibi ac honori duxerint optimi & præſtantiſſimi qvíqve, ſi Trocedorfianæ ſive Aurimontanæ hujus Scholæ diſcipulos ſe fuiſſe planum facere poſſent; tum qvibus iſtud teſtimonii non competeret, ii minus vel in literis inſtituti, vel moribus exculti haberentur.

Qvæ ſané non minima celebritatis pars eſt, qvâ præ aliis per Germaniam multis, Schola hæc noſtra jure gaviſa eſt: Et unde per omnem ferè Europæum orbem jam diu poſt hominum memoriam inter maximé inſignes Germaniæ Scholas meruit numerari. Aurimontium eqvidem ipſum noſtro cum Lignicio in qvampluri-mis nullâ ratione qvoad amplitudinem ac alia, qvæ ſpectari hîc ſolent, poſſe conferri, eſt, opinor, extra controverſiam: Atqvi apud exteros Goldbergæ nomen multó eſſe & notius & ſplendidius noſtro, experientiâ edocti didicerunt, qvi operam peregrinationibus aliqvantó longinqvioribus im-

 penderunt.

penderunt. Idqve non nisi Scholæ celebrioris beneficio ita evenisse unanimis & consentiens omnium inter nos, credo, est sententia.

Qvis veró est, qvi secum ista reputans, non agnoscat pulcerrimam meliore illo potissimum ævo fuisse hujus Gymnasii faciem; Cujus & speciem subinde aliqvam retinuit; usqvedum paucis admodum abhinc annis penitus collapsum desiit esse, qvod audiit; qvod fuit: adeó ut ne umbra qvidem pristini vigoris remanserit.

Et qvis hoc ipsum intuens ac considerans cúmqve feliciore illo statu conferens, ex animo non ingemiscat? medicinam non exoptet? oblatam non cupidé amplectatur?

In memoriam hîc mihi revoco, qvod ante hosce undetriginta annos, hoc ipso die IX. Calend. Sextil. hac ipsâ de Cathedrâ, aut si non de Cathedrâ, ipso saltem ex hoc loco, cúm itidem, uti hoc die fieri videmus & lætamur, illustri suâ præsentiâ Rectoris Novi Inaugurationem gratiosé ornaret Celsiss. Princeps ac D.D. Fridericus 4. Lig. ac Brig. in Silesiâ Dux, beatæ recordationis; qvod inqvam tunc audivi Virum Clarissimum Pancratium Crugerum oratione exqvisitissimâ de Scholasticorum

hîc

hîc raritate cónqverentem, intérqve alia Maronæum illud usurpantem:

Apparent rari nantes in gurgite vasto.

Sed & istud indidem petitum:

Vacuâ dominamur in aulâ.

Neqve tamen ea tunc erat solitudo, qvalem nos hactenus experimur. Qvid dicturum putamus, si superstes hanc cerneret calamitatem? Qvibus verbis eandē existimamus deploraturum? *Fuimus* scilicet *Troës*; Et *campos ubi Troja fuit* labore, utinam non frustraneo, suscipimus inarandos.

Sed qvid caussæ esse dicemus tantæ & tam exitialis ruinæ? tanti & tam funesti interitus?

Non arbitror esse qvenqvam rerum vel divinarum vel humanarum adeò imperitum, ut non utrobiqve mali hujusce sive fontem, sive fomitem, si qværat, in venire possit.

Illuc (ad Deum) si respicimus, providentiam ipsius meritò agnoscimus, qvâ liberé, at justé atqve inculpaté, vicissitudines rerum ordinat; metas constituit: incrementa, decrementa dispensat: omnia deniqve & singula digerit secundum suæ beneplacitum voluntatis. Interim & justitiam non raró exercet adversus mundi ingratitudi-

 nem,

nem, populorum transgressiones, pœnitere nescio-rum impietatem. Peccatum peccavit Hierusalem, propterea instabilis facta est; ait in Threnis Hieremias Propheta. Istud agnoscimus, Christiani qvi sumus.

Huc verò (ad sublunaria ista) oculos si convertimus, non unius generis machinas reperiemus, qvibus ædificium hoc Scholasticum; non qvod ex lapidibus & lignis fabrefactum est, sed qvod docentium ac discentium qvalicunqve constat freqventiâ, concussum subrutúmqve deprehendemus. Nolo, neq; opus est, in lucem adspectumq; proferre universas: E pluribus sanè, præter eam, qvæ circa rei Scholasticæ tum dissipationem, tum restitutionem, consilio neutrobi satis felice susceptam, ante annos non multos præcesserunt, duas duntaxat adsignare libet, non ipsi tantùm Aurimontio, sed toti insuper provinciæ notas. Ecqvis enim est, qvi nesciat horribilem opidi hujus conflagrationem? Ecqvis est qui nesciat miserabilem pestilentiæ, qvæ illicó secuta est, infectionem; imó vastationem; imó perditionem? Gemina hæc unius anni strages totum occupavit opidum: Et cum opido Scholam simul occupavit, pessumdedit, evertit. Hoc cum ita sit; mirum profectó si

cui

cui mirum, unde iſta, de qvâ loqvimur, calamitas. Nimirum idem feré hoc experta eſt caſu Auri-montana noſtra, qvod patrum ei memoriâ evenit; cùm anno C. 1552. graſſata eſt Fames: 1553. Peſtis: 1554. Incendium. Qvibus conſeqventer ſeſe invicem excipientibus cladibus, eum in modum illa tunc fuit non debilitata, ſed infracta, ut poſt Lignicienſis exilii biennalis miſerias ac moleſtias non ſine difficultate ſuperatas, iterum qvidem fuerit inſtaurata: *ſed non ad faciem omninó inſtaurata priorem.*

Jacuit ergo ſimiliter hactenus Schola; & jacuit; Sed non ſine ſpe jacuit.

Qvâ enim erga univerſam rem literariam affectione benigniſſimâ eſt Princeps noſter illuſtriſſimus, omnem ſubinde movit lapidem, & ab ipſo gubernationis ſuſceptæ primordio nihil Excelſitate ſuâ magis dignum ratus eſt; nihil feré prius potiúsve in votis habuit, qvám illuſtrem Auri-montanam, totius patriæ theſaurum atqve ornamentum, priſtino, qvantum fieri poſſet, reſtituere nitori.

Qvo qvidem in propoſito & animari ſeſe & confirmari ſenſit Ejus Celſitudo non mediocriter, conſideratione tum exemplorum á majoribus

 illuſtriſs.

illuſtriſs. relictorum, tum finis ſeu uſus, propter qvemScholarumPhrontiſteria vel erigi, vel inſtaurari, vel deniqve conſervari. par ſit.

De Judaici populi Regibus, de Cæſaribus ac Dynaſtis aliis nihil hîc attinet dicere; de qvorum iis, qui meliores, hiſtoriæ ſacræ ac profanæ teſtantur, qvantopere in illis, qvæ ad cultum Dei, & ad literarum ſtudia qvovis modo provehendum aliqvid afferre ſoleant aut poſſint adjumenti, ſerió curandis fuerint occupati, & qvantos ob id ſumtus facere non dubitarint. Domeſtica in promtu ſunt documenta Progenitorũ illuſtriſs. familiæ Ligio-Bregenſis; propinqviora ſaltem ut attingantur: Illuſtre Gymnaſium Bregenſe, qvod utplurimum non ſine flore aliqvo ac vigore fuit, Celſitudinis ipſius illuſtriſſimus avus fundavit, Parens conſervavit, Frater locupletavit. Illuſtre hoc Aurimontanum, ſub ejuſdem Celſitudinis Proavo illuſtriſs. apertum & adſertum, ſucceſſores Principes FRIDERICUS 3. continuavit; HENRICUS confirmavit; FRIDERICUS 4. propagavit; cúmqve ruinam minitari velle videretur JOACHIMUS FRIDERICUS inſtauravit.

Neqve id ſine ratione. Intellexerunt enim & perviderunt Principes ſapientiſſimi, qvorſum Lu-

di litera-

di literarum faciant, & qvantum momenti ad salutarem juventutis educationem atq; informationem in rectâ & prudenti eorum constitutione situm sit. Agnoverunt ipsissimas hîc esse officinas, in qvibus ingenia exercentur, animi excoluntur; atq; ad omnium ordinum munia, ad dignitates in Ecclesiâ, ad functiones in Republ. ad operas in œconomiâ cum fruge obeundas ac sustinendas juventus præparatur atq; præmunitur: In qvibus inqvam artes traduntur, lingvæ inculcantur, pietas plantatur, mores formantur: Qvæ deniqve Deo gloriosa & grata, hominibus utilia ac necessaria, docentur ac discuntur.

Hinc ergó est, qvód sæpiusculé jam præmemoratus Illustrissimus Princeps, Dominus noster clementissimus, non modó constitutum hactenus habuit, qvid de Aurimontanæ hujus suæ instauratione vellet: Verùm etiam istud Celsitudinis suæ consilium hoc ipso die effectum dare decrevit; ejúsqve rei publico in hoc actu interpretem me clementer esse jussit.

Porrò cum pro eo ac ab initio ostendebatur, non tam ab ægrotatione aut morbo illustris hæc Schola erigenda, quám a morte ipsâ resuscitanda

qvasi

qvaſi veniat: Cúmqve diſcentium freqventia aliqva non tam præſtó ſit, qvám exſpectetur:

Idcircó de Inſtitutionis methodo, deq; Diſciplinæ normâ, Illuſtriſſimus noſter ab iis, qvibus negocii hoc datum eſt, ſcripto qvidem, qvid é re juventutis Scholaſticæ fideliter ſalutariterq; inſtituendæ futurũ eſſe in poſterum judicetur, comprehendi curavit: Qvo cautum habetur; qvo pacto tum in Pietate, tum in Literis, tum deniq; in Moribus diſcentes ſive nobiles, ſive alii, ſint informandi: Verùm pro re natâ & pro captu eorum, qvos Scholæ huic adjungere deinceps divinæ placuerit providentiæ, in eo mutandi, corrigendi, addendi, demendi poteſtatem integram Celſitudo ejus ſibi voluit reſervatam.

Iſthoc tantúm monere hoc loco operæ precium fuerit: Et iſthoc ipſum fortaſſe ſatis fuerit: Pietatis doctrina ſecundum oracula & dicta Biblica, ex Libellis ante id temporis ſemper in hac Scholâ uſitatis, proponetur. Inſtitutio in Literis ratione, qvantum poterit, omnium maximé methodicâ, perſpicuâ, ac brevi peragetur. Diſciplinæ ſeveritas & rigor liberalitate ac manſvetudine temperabitur. Locúmqve adeò ſemper Trocedorfianâ in Cathedrâ habiturum eſt, illud freqventer á Trocedorſio,

cedorſio,

cedorfio, ut fertur, usurpatum: Præcepta debere esse paucissima & brevissima: Exempla illustrissima & utilissima: Exercitationem longissimam & creberrimam.

Persecutus sum paucissimis, qvæ dicenda ab initio proposui: Restat adhuc unicum; sed qvod scopum actionis hodiernæ ipsum concernit.

Qvia enim, uti Corpus sine Capite; Ecclesia sine Doctore; Respublica sine Gubernatore: Sic Schola sine Rectore salva non valet consistere: Atqve ob id præcipua consiliorum momenta de salute rei Scholasticæ procurandâ eò potissimùm fuerunt dirigenda, ut ad isthanc provinciam hocce loci sustinendam aliqvis inveniri posset, qvi idoneus: Præ aliis veró ab eruditione, à virtute, á pietate, á prudentiâ, atqve in doctrinis disciplinisqve tradendis dexteritate ac felicitate singulariter commendari meruit Vir Clariss. Spectatissimúsqve Dominus JONAS MELIDEUS Saganensis Silesius, illustrissimi antehac potentissimíqve ac literatissimi simul Principis MAURITII Hassiæ Landgravii Scholæ illustris Aulicæ Præceptor; in illustri autem Schönaichiano Bethaniæ Gymnasio nuper post qvatuordecim annorum decursum Academico in stadio continuatū, Eloqvētiæ ac Poëseos Professor:

Proinde non modó à reqvisitis necessariis pror-
bé instructum, eóqve dignum illustrissimus Prin-
ceps noster censuit, cui arduum istud atq; amplis-
simum Rectoratus axioma committatur: Ve-
rùm etiam illud ipsum, inter veniente legitimâ vo-
catione, non sine consilio eidem commisit atqve
demandavit.

Cúmqve sit, qvod dicitur, μιᾶς χειρὸς ἀσθενὴς μάχη:
eáqve propter de parastate fido illi adjungendo
consilium maturé fuerit capiendum: Et veró non
tam ab aliis prædicata, qvám rerum ipsarum ex
testimonio cognita ejusdem Celsitudini jam pri-
dem fuerit Cl. Dn. M. Danielis Vechneri Au-
rimontani, tum virtus ac eruditio non vulgaris,
tum in docendo fides ac industria commendabilis:
Cujus rei documenta præbuerunt evidentissima,
& labores scholastici hoc ipso in Gymnasio illustri,
cujus Professorem singulari cum laude antehac
egit, Jauranorúmqve in Scholâ, cujus Rector ali-
qvamdiu fuit celebratissimus, exantlati; & scri-
pta insuper publica, meliorum cordatiorúmqve
calculis certatim comprobata atqve comendata:

Idcircó hunc ipsum qvoqve Rectori recens
vocato & constituto, tanqvam Collegam Primari-
um, adjungere, Pro-Rectorisqve titulo gratio-
sé orna-

se ornare Idem ILLUSTRISSIMUS noster voluit.

Et utrumqve quidem istâ ipsâ in Panegyri hodiernâ publicé hîc sistendi, ac in muneris suo cuiqve loco atqve ordine adsignati qvasi possessionem collocandi provinciam mihi delegavit.

Ad vos igitur, Viri Charissimi nunc me ego converto; Et

(Qvod felix ac faustum, Scholæqve huic omnibus modis salutare esse jubeat ALTISSIMUS:)

In nomine ipsius DEI, Patris, Filii & Spiritus S. ex mandato & autoritate illustriss. nostri PRINCIPIS;

Te qvidem Cl. domine MELIDEE illustris hujus SCHOLÆ GOLDBERGENSIS RECTOREM cum potestate plenariâ:

Te veró Cl. domine M. VECHNERE ejusdem SCHOLÆ PRO-RECTOREM & Collegam Primarium, pronuncio, declaro, proclamo: Vósqve pro iis ipsis ab omnibus & singulis Scholasticæ jurisdictioni addictis agnosci, haberi, honorari, autoritate, qvâ dixi, jubeo.

Tuum erit, Excellentissime Domine RECTOR, Scholam hanc illustrem, ejúsqve tum Præceptores, tum discipulos, tuæ fidei habere comendatos:

 Et

Et Collegas qvidem amare, inſtruere, defendere, ubi opus eſt: Diſcipulos regere, docere, excolere, uti par eſt: Omnia deniqve cogitata, dicta, facta ad rei Scholaſticæ dirigere ædificationem atqve emolumentum: eo prorſus animo, eâqve mente, qvâ in magno demum illo die Cenſorio coram juſtiſſimo omnium judice deſideras comparere.

Tuum veró, Cl. Dn. PRO-RECTOR, erit, conjunctis cum RECTORE conſiliis ac operis, pari omninò fide, pari ingenuitate, pari induſtriâ qvidqvid ad Scholæ incrementum facere qvovis modo videbitur, docendo, monendo, corripiendo, curare; & nominis menſuram tui facto ipſo, qvantum poteſt per DEI gratiam, implere.

Hoc eſt, qvod à vobis poſtulat ac reqvirit, qvod de vobis ſibi pollicetur ac ſperat, non tantùm ſpectatiſs. hæc corona Magnificorū, Nobiliſſimorum, Clariſſimorum hominum; & cum iis univerſus hic, qvantillus eſt, cætus Scholaſticus: Sed & omnes hujus opidi Cives; omnes hujus inclyti Ducatûs incolæ; qvorum in vos oculi & animi conjecti: imò Princeps ipſemet illuſtriſſimus, à qvo neceſſariam defenſionem: imò ipſemet Rex Regum, Dominus Dominantium, à qvo benignam pro laboribus compenſationem, in omnem eventum habetis qvod vobis deſpondeatis.

Qvem-

Qvemadmodum veró Collegas veſtros & Diſcipulos, omnes ac ſingulos, veſtro commendatos amori ac fidei eſſe volo: Ita ab ipſis viciſſim omnem vobis deberi honorem, obſervantiam, obedientiã debet iisdem eſſe perſvaſiſſimum. Et ſpes bona eſt facturos utrosqve, qvod Collegas erga Superiores, Scholaſticos erga Præceptores ſuos decet.

Itáqve ſalus Scholæ publica conſtabit: ita ſingulorum undiqve commodis inſervietur: ita favor & benevolentia aulæ Illuſtriſſimæ; ita gratia, & benedictio JEHOVÆ Altiſſimi ſubinde conciliabitur, fovebitur, tenebitur. Ita fiat: ita ex ſincero cordis mei affectu ego voveo, ita precor.

Et in hoc concludo:

O vos omnes, qvi Scholaſticam hanc ſolennitatem Illuſtriſſimâ Magnificentiſſimâqve, ſpectatiſſimâ inſuper ſtudioſiſſimâqve veſtrâ præſentiâ confirmatum, adjutum, decoratum iviſtis:

Benedicat vobis DOMINUS & cuſtodiat vos:
Oſtendat DOMINUS faciem ſuam vobis,
& miſereatur veſtri:
Convertat DOMINUS vultum ſuum ad vos,
& det vobis pacem. Amen.

D I X I.

I. MELIDEI
Illustris AURIMONTANÆ RECTORIS
Oratio Inauguralis
De Rerumpubl. Scholarúmq; Convenientiâ.

SERENIS. PRINCEPS,
DOMINE CLEMENTIS.
Mag. Generosi, Nobiliss. Reverendi, Consultiss. CL. Excellentiss. & doctiss. V.V.

SI me non nihil in vestibulo Orationis hærere; si fluctuare parumper contigerit: non leves aut absurdas rationes subesse, facile subolfaciet is, qui præsentium rerum momenta aliqvatenus excusserit.

Sive

Sive enim ad Provinciæ amplitudinem, quæ DEO *sic gubernante, Principali auspicio, tuâ verò,* Reverende D. Superintendens, *vicariâ voce modò demandata est, oculos intendo: sive vircularum mearum numerum expendo: sive splendißimam hanc concionem intueor: sive deniq; Illustris hujus* Gymnasii *statum considero: abunde ubiq; occurrit, quod animum lentè ac variè occupet, nec uni affectui mancipatum relinquat.* Ut *enim reliqua omnia dißimulem: Muneris demandati eam esse conditionem, quis ignorat:* Ut *minimè ambiguæ sit dignationis; multum privatim, publicè plurimum decoris in obeuntem conferat: præterea Prophetâ Babylonio interprete, dulcißimi omnium ac speciosißimi capax brabéi? Quemadmodum ab Aristotele Justicia Lucifero & Hespero; sic corona illa emeritis Justiciæ Præceptoribus in cælesti brabeuterio donanda, stellarum splendori non immeritó confertur. Verum enimverò quod de Virtute pronunciavit Sacerdos Ascræus.* *

Dan. 12.3.

Nicom. l. 5. c. 3.

* Ante fores pulchræ Virtutis DI posuere sudorem: sed longa via est. atq; ardua ad ipsam. Hes. op. l. 1.

Τῆς ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν·
Ἀθάνατοι, μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτήν.

Idem de gloriâ hac usurpari convenit: ad quã, velut ad Honoris templum, non nisi per La-

boris

boris ædem patet accessus. Certè non coronatur, qui Olympia adit, nisi curriculo decurso: nec qui militiæ nomen dat, nisi stipendiis rite factis. Si aliud, certè Scholasticum vitæ genus multò laboriosissimum ac molestissimum est. Qui ligna, ferrum & lapides usui apta reddunt, instrumentis in eam rem sufficientibus adjuvantur: qui bestias cicurant & deferant, tam valida adhibent adminicula, tam certa blandimenta: ut ἀκονιτὶ, * *sic loqui liceat, naturam edoment, feritatem frenent, & obsequentem beluam, exiguâ & pusilli temporis mansvetudine doctam, quò velint, ducant. Pleriq; insuper Artificum, si secundum artis præscriptum procedunt; rarissimè ausis excidunt: & licet excidant; error tantilli non est: quin jacturam facilé resarcire, & existimationem, sicubi laboret, novâ mox operâ recuperare queant. Ingenui autem hominis institutio, uti omnes tam animi, quàm corporis functiones requirit; ita periculis nusquam vacat. In aliis negociis,* *

*sine pulvere

Τύχη
Σόν ἐστ' ὄνειδος τοῦθ', ὅταν οὗτος ἀνὴρ
Δίκαιος ἀδίκοις περιπέσῃ συμπτώμασιν.

*Fortuna probrum extat tuú: si quispiam Vir justus in justis gravatur casibus. *Menand.*

Hìc autem si quid omissum aut commissum

paulò

paulò secius ac decet: imò si quid præter institutum & voluntatem Præceptoris Fata imperant: omne crimen, omne damnum, omnes diræ exeunt in unum devoti Informatoris caput, noxæ datum & sacrum: quod operæ oleiq; profusi ludibrium periculo suo luere cogitur. Aten Scævam irritare, & omen non dextrum adoptare viderer: si præter omne meritum maculas immerentib9 Præceptoribus ab ingratis aspersas (quale Lino, Pythagoræ & ejus Asseclis, Socrati, Platoni, Senecæ & sexcentis aliis evenisse constat) recensere vellem. Polyb. l. 2. Athen. l. 12. c. 23. *Quæ si perspecta satis Chrysippus Stoicus habuisset: erroneum illud* φάντασμα *nunquam protulisset;* Scholasticam, *scribens*, vitam à molli & voluptuariâ nihil differre. Plut. Repugn. Stoic. *Qui hominem formandum suscipit, non hominem sibi tradi; sed ingenium ferinum, humanitate imbuendum meminerit: nec ingenium quidem; sed tabulam rasam; eamq; non eburneam, chalybinam aut adamantinam; sed ebore, & chalybe & adamante longè duriorem: in quam non cælo, aut graphiis, id est, violentâ & auctumnosâ asperitate humanitas insculpenda; sed molli mansvetudine; sæpe suspiriis & lacrymis intra præcordia obortis,*

tis, guttatim instillanda; lineæq; tantisper ducendæ; donec in imaginis decoræ consummationem conspirent. Ursæ suos fœtus lambendo fingere scribuntur: Sic Præceptores multis vigiliis, infinitis lucernis, incredibili accuratione, lambendo, ut sic applicem, habitus pueriles formant, & ad maturitatem educunt.

Ætatis cujusq;,

canit Venusina Siren,

Horat. Poët.

notandi sunt tibi mores

Mobilibusq; decor Naturis dandus, & annis.

Ob hæc Præceptorē non modò doctrinâ, virtuteq; bene instructū esse oportet; sed quodammodo industriâ Patrisfamilias; Hortulani aut Agricolæ φιλοπονία,* *Pastoris vigilātia; Artificis peritiâ; Mercatoris dexteritate; Medici felicitate; Magistratus prudentiâ præditum. Secundum Legum Romanorum normam,* Præceptorem facundiâ & moribus excellere oportet. *Quæ Theodosius & Valentinianus Impp. ad Septem extendunt capita;* vitam nempe probis moribus, docendi peritiam, dicendi facundiam, interpretandi facilitatem, differendi copiam, judicium de eo cætus amplissimi, sedulitatem in labore. *Verumenimvero* Prudentia, *quam omisisse*

*studio laboris.

l. un. C. de stud. liberal. l. magist. C. de Profess.

omisisse videntur, potissimas sibi partes vendicat: quam Pythagoras Vitæ anchoram, *Jamblichus* virtutem Principem *indigitant*; quæ reliquis omnibus, *ut habent hujus verba*, utitur; ipsarumq; ordinem, modum & occasionem in præsentia, tanquam oculus quidam mentis undiquaq; lucidissimus ostendit: quæ gubernatrix hominum, civitates, familias & privatam singulorum vitam εἰς παράδειγμα τὸ θεῖον * referens, quâ potest optimâ similitudine depingit, hoc delet, illud inscribit; utrumq; συμμέτρως * assimilat: quo sui possessores dei similes reddit. *Quæ postrema ejus verba examussim boni Præceptoris referunt* ἀπείκασμα * *& characterem. Nimirum Discipuli ut Liberi educandi; ut virgulta inclinandi, quò rectè arborescant; ut sementis Reipubl. curandi; ut oves pascendi; ut materia artis tractandi; ut merx habendi; ut ægrotantium* παθήματα καὶ συμπτώματα *noscendi; ut Reipubl. Cives regendi, imò ut thesaurus custodiendi. Huc Præceptor oculum intende: hîc tibi Rhodus, hîc saltus. Memoranda sunt, quæ huc divinus Plato alludit.* Homo, *inquit*, Si cum naturâ felici rectam quoq; disciplinam fuerit assecutus, in

Apud Stobæum de Prudentiâ.

* ad divinum exēplar.

* convenienter.

* effigiē.

6. de LL.

 divinissi-

divinissimum, mansuetissimumq; animal solet evadere: Sin verò non satis, aut non bene fuerit educatus, ferocissimum omnium, quæ in terris nascuntur, animal redditur. *Cujus rei intuitu, ab Oraculo sciscitandum per Magistratus svadet: cui viro tanquam optimo, erudiendæ juventutis partes in Republ. sint credendæ. Quæ cum ita sint: nemini mirum videbitur: si conscientia tanti oneris, quod imponi mihi hac solenni ceremoniâ cæptum, animum percellat meum: inprimis dum subductis rationibus.* --- quid ferre recusent,

Horat. Poët. quid valeant humeri,

probè excutio. Agnosco imbecillitatem meam, & tenuitatem: fateor, inveniri passim, qui ut ætate, sic eruditione, prudentiâ, auctoritate me longè antecellant: & quibus ob id fortasse commodiùs Sparta hæc tradi potuisset. Quantumvis minimè dissimulem, quæ miserator Jehova in me immerentem contulit beneficia, certè plura & majora, quàm gratiis redhostire, verbis satis deprædicare valeam. Minor sum, Domine, cunctis miserationibus tuis, lubet cum Patriarchâ exclamare. Quid verò? num meæ conscientia humilitatis à tam præclaro munere (Gen. 32. 10.)

abster-

absterrere? num magnitudo provinciæ, periculorum discrimen, fortunæ ancipitium animum dejicere poterit? Præsertim, ubi clarissimo Divinæ providentiæ nutu res geritur: ubi propensissima Principis ac Domini mei voluntas tam certa effulget, quàm certum est, esse meridiem. Degeneris & incompositi ingenii esset, isthanc beneficii occasionem declinare; auctoritatem divinam aspernari; nec quò tam benigni Favonii aura evocaret, remis velisq; contendere, nec instar boni militis jussa Imperatoris, lubenti animo, gradu concitato sequi. Proinde exemplo Mosis & Jeremiæ, nullo balbutiei aut pueritiæ offendiculo, & divinæ vocationi, & Principali voluntati clementissimæ me humilimè summitto; vocantium auctoritatem debitè veneratus, eâq; omnino spe fretus, fore, ut quæ Jehova *operari per me cœpit, benignè perficere, adesse ori meo, loquenda docere, verba sua ori meo indere, omnemq; functionem coronare dignetur:* tuaq; Princeps Serenissime Celsitudo, *eâdem, quâ hactenus, gratiâ & benevolentiâ, obsequia & studia mea devotissima, sit prosecutura.*

Exod. 4. 10. 12. Jerem. 1. 6. 9.

Florentissimus ille Corinthiorum Heros Timoleon,

Plut. Timoleō.

moleon, cum Syracuſas & reliquas Siciliæ Civitates à fœdiſſimis Tyrannorum ludibriis liberaſſet; Tyrannos partim fugaſſet, partim oppreſſiſſet; Syracuſas & alias ſemidirutas urbes civium reductione & coloniarum deductione frequentaſſet; Leges, jura, libertatem & religionem vindicaſſet; ac velutinovam Rempubl. conſtituiſſet; tantâ rerum geſtarum gloriâ; tantis triumphis, inter ipſos partæ pacis fructus cumulatiſſimos, nihil elatus; ſi forte vel Amicos de tantis bonis certiores faciebat; vel ad Syracuſanos concionabatur; Deo gratias ſe habere, quas poſſet, maximas, *profeſſus eſt:* quod is, cum ſervare & reſtituere Siciliam voluerit, tamglorioſæ & arduæ rei, Timoleontis titulum nomenq; præſcribere ſit dignatus. *Ego autem, tametſi longiſſimè à tanti Herois fortunâ, quæ in multis ſingularis exſtitit, me abeſſe ſciam: nihil impedior tamen, eâdem pietate primum Numini altiſſimo, deinde Principi Illuſtriſſimo hujus muneris auctoribus, à quibus omne id, quod geritur, profectum, gratias infinitas humilimè agere: quòd cum voluerint rebus Scholæ hujus lapſis & deploratis ſuccurrere, easq; reſtituere: me potiſſimum, cum Clariß.*

riß.

riss. Collegâ, tantæ rei organa elegerint: quorum nomina in tam celebris Scholæ instauratione audirentur. Faxit Jehova Scholarum magnus Patronus & Sospitator; ut auspicato id fiat: totumq; illud, quod suscipitur, ad nominis sui sanctissimi gloriam; ad tuam deinde, Princeps celsissime, *laudem & delectationem; ad Ecclesiæ incrementum; Reipubl. ornamentum; nostri demum omnium emolumentum pertineat.*

Nunc superesse video, quò solennis hic Inaugurationis actus decenter fiat: ut de proposita, quæ ad rem præsentem faciat, materiâ, sermonem ad vos instituam. Ac quanquam verendum: ne aqua mihi hoc inprimis loco hæreat: quandoquidem nec ab ingenio memoriâq; ità adjutus; nec exercitatione frequenti à teneris cultus & confirmatus sum; ut tam illustri consessu dignam afferre Orationem possem: attamen cum omnis mihi spes in vestra clementiâ & benevolentiâ sita; Vosq; aliàs Populum regere, Rempubl. gerere, consilia moderari, arma tractare soliti, hac vice ad id frequentes adsitis: ut horulam Panegyricæ huic auditioni impendatis: quò auribus vestris teretibus & de-

licatis

licatis consulam, succinctâ & luculentâ ratione; Quantum Reipubl. cum Scholis conveniat, quò ad Ortum, Constitutionem & fatales Periodos, *edisserere proposui.*

Tuam verò, Serenissime Princeps, Domine clementissime, *Celsitudinem devotissimè & humilimè oro : ut gratiam & clementiam Principalem adspirare; Vos porrò*, Magnifici, Generosi, Strenui, Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi, Clariss. Doctissimiq; V. V. *ut decet, devotè & submissè rogo : ut quod facere instituistis, vestrâ me benevolentiâ tantisper sublevare dignemini : quoad velut Leucothoes velo adjutus, hinc unde jamjam solvo, secundis ventis in portum postea optatum enatare queam.*

Ut ergo rem ex alto repetamus : non grave sit mentis oculos parumper attollere, & ex hoc temporis articulo ad primordium rerum, ex hoc Choristerio in Orientem, & prima Parentum primorum tabernacula transferre. Ubi evestigio sese offerunt antiquissima humanæ societatis rudimenta. Adamus etenim fraude Serpentis Paradiso exclusus, per lapsum fœdè de- Gen. 3. 4. 5.
formatus, & perpetuis jam ærumnis laboribusq;

busq;

busq́; obnoxius; quia resides divini jubaris scintillas exserere; & è tenebricoso sordium & squalorum ergastulo, oblivionisq́; tetra cœno emergere nitebatur; non ipse modò semina scientiæ resuscitare, exercitiisq; crebris & meditationibus est conatus: sed posteris quoq́; auctor fuit, ut collatis tuguriolis societatem juxta ac humanitatem colerent. Unde *brevi Hominum genere, ut fiebat, mirum in modum aucto, non domesticæ tantum societates, sed Civitates quoq; in unum statum coäluere.*

Quemadmodum autem mei non est instituti, quod Politici quidam hìc agunt, disquirere; placidane, an verò violenta fuerit prima Civilis regiminis institutio: (utut vero similius videatur, primum oppidi Architectum Cainum, cùm non nisi in prolem & Nepotes suppeteret imperium, voluntaria jurisdictione, imperio non multum à domestico abscedente usum:) ita mihi planissimè persuasum habeo: aut priùs Scholam fuisse, quàm Politiam; aut unà utramq; in primâ illâ Mundi conversione introductam. Nam Sapientiæ recuperandæ amore æstuans Adamus Uxorem *& quantum Filiorum Nepotumq; videre contigit, privatos intra parie-* Gen. 4. 26.

tes docuit, idq; egit: ut tandem in Sethi familiâ de Sapientiâ & Religione doctrina ad posteros sarta tecta & illibata transmitteretur. At quantò ista Adami cura prior ædificiis Caini: tantò antiquiora Scholarum primordia haberi palam est. Quod si quis Familiam esse Reipubl.
1. Polit. 2. *partem prætendat: Rempubl. autem, cum Philosopho, familiâ priorem statuat; & sic hanc & illam ultra Scholarum initia extendat: ei ego vice versa repono: Adamum vel solum, dum meditationibus divinis occuparetur, & continuis earundem exercitiis non parum delectaretur, tunc simulacrum, imò principium Scholæ fuisse; ejusq; secum fundamenta æquè jecisse, ac postea, cum Uxorem, familiaresq; reliquos, eâdem meditationis dulcedine, velut Ambrosiâ post amissam vitæ scientiæq; arborem impertiret. Et hinc, autumo, illud resultat: quod Politicorum nonnulli affirmant:* Reipubl. o-
Aristotel. 10. Ethic. 7. & 7. Polit. 2 mniumq; ejus partium, uti & reliquarum humanarum actionum finem, & summum Bonum in hac vitâ consistere in Contemplatione æternorum. *Cujus assertionis non absurdas audimus rationes.*

Cum enim omnis Politia sit exemplar &

ἀντίτυπον

ἀντίτυπον *universalis illius & supremæ Monarchiæ, tanquam* ἀρχετύπου, *quâ Deus omnia suo nutu gubernat: (cujus ratio tunc demum nobis verè & plenè patebit: cum devictis in Mundo hostibus Ecclesia militare desinet, triumphare incipiet: cumq; Deus erit omnia in omnibus.) maximè sanè statuendum est: non esse summum finem ponendum in Republicâ mundanâ, tanquam imagine & simulacro; sed potius* ἐν τῷ ἀρχετύπῳ *cælesti: quò etiam reliqui omnes omnium rerum fines subordinati referuntur. At interea dum hìc peregrinamur, nec cælesti patriâ fruimur, non possumus, nisi contemplatione summum illud bonum consequi. Huc respiciens Plato* Philosophiam universam Mortis contemplationem *definivit. Et Romanus Historicus præclarè alludit:* Quæ Homines arant, navigant, ædificant, Virtuti omnia parent. *Enimvero Virtus temporariâ felicitate non contenta, quærit quæ supra collocata & æterna: quod conamen Epictetus eleganter Naviganti comparat.* Quemadmodum, *inquit*, subducto navigio, si aquatum exieris, obiter fortassis etiam cochleolam aut bulbũ colliges: animo autem continenter in Navim, & ad Guberna-

Phædone. | Sal.Catil. | Enchirid. cap. 12.

toris vocem intento esse oportet: ac tum illo vocante, omnia præsentia omittere. *Non aliter in vitâ* — Cum Domus & placens

Horat. 2. o. 14.

Uxor;

Cum Respubl. distinet: nihil impedit, quin quasi παρέργως *ad caduca illa bona; sed perpetuò firmiter ad æterna tanquam Cynosuram respicias: ut vocanti summo illi Gubernatori extemplo adsis, relictis sine gemitu, quæ hîc possides. Quod si ita nobis est præconstitutum: etiam hoc consequi puto: summi hujus finis consideratione primos illos Mundi incolas motos, & Scholarum conventus instituisse; & familias in Reipubl. societatem conflasse: ut utrobiq; vita sic formari geriq; posset: ut dignum æternâ vitâ exitum consequeretur. Quid si hoc ex summi omnium rerum Architecti dispositione promanasse diceremus? Is enim non aliam ob causam, cum sediendium laboribus addixisset exantlandis: septimum diem feriatum esse voluit: cum ut Creationis memoriam refricaret: tum ut Sabbatum conderet; id est; Scholis sive contemplationibus & meditationibus diem sacrum destinaret.*

Gen. 2. 3. Exod. 20. ỹ. 10. 11. Deut. 5. 14. Ezech. 20. 12.

Verum-

Verumenimvero ut præter hunc alios quoq; fines Politia agnoſcit: putate defenſionem ab injuriis, commodiora negocia: Sic Schola quoq; alios ſubordinatos fines minimè excludit: Præter enim quod æternorum notitia & deſiderium in eâ implantatur; mores etiam puerorum aſperi læviganiur; ingenium variis artibus ad vitam utilibus imbuitur. E quibus omnibus perſpicuum fit: Scholas & Politias eadem habere primordia, eodem tempore cæpiſſe, ad eundem quoq; terminum contendere. Subordinatorum autem in Republ. finium proximus & adæquatus eſt Salus *Reipubl. : itaq; & Scholæ: unde alterum diſſertationis noſtræ caput emergit: quibus mediis videlicet tam Reſpubl. quàm Schola hunc finem conſequi poſſint.* Kirchn. Republ. diſp. 1. &. 6.

U*t uno rem verbo deſignemus: videndum Fundatori & Legum latori, quicunq; ſive Reipubl. ſive Scholæ fundamenta & terminos, velut aratro ducto* U*rbis mœnia deſcribit, futurumq; opus molitur: ut eas ita* conſtituat, *ne ab ullâ vi, quantum ejus humana prudentia cavere poteſt, convelli & labefactari poſſit.*

C*onſtituitur autem quorundam Politicorum ſuffragiis* C*ivitas quàm firmiſſimè*: Si primò

Xenoph. 4. memor. Plat. Cratylo. Polyb. l. 6. Cic. de nat. deor. l. decere l. inter C. de summâ Trinit.

mò legum juriumq; circa Religionem & sacra habeatur ratio: Deinde Potestas Imperantum cum subditorum ordinibus, legibus salubribus ceu vinculis conglutinetur & colligetur. *Eum constituendi modum ex amussim quadrare ad Scholasticum regimen, quis naturali lumine præditus non videt? Nonne qui Scholas instituit, primam Pietatis & Religionis curam suscipit: Deinde quibus legibus Præceptores docere, Discipuli obedire debeant, edicit? Cæterum sunt* leges *quædam, quas vocant* Fundamentales *in Republ., sunt item* κρύφια *& arcana quædam, non nisi probè versantibus in illâ cognita: quales peculiares ad tuendum statum & tranquillitatem modi, uni tantum Reipubl. ob circumstantiarum ingenium adæquati: qualis* δυσκρασία *aut defectus occultus, sine piaculo ad vulgus non prodendus: quale demum antiquum Imperii* κειμήλιον *ad ornamentum tutelamve ejus destinatum. Nec Scholæ quidem istis carent: ita ut punctum omne mereatur Præceptor, qui vel modos peculiares, & ab aliarum Scholarum regimine remotiores, quibus stabiliri & florere res literaria possit, tenet, inq; usum deducit: vel in obscuro posita laborantis*

Scholæ

Scholæ ἁμαρτήματα, *& deliquia, non quorumvis oculis obvia cautè explorat, declinat, sine strepitu & opportunè eradicat. Nec Tutela quidem Scholis deest: non qualis puppibus olim imponebatur, deaurata Numinis imago: sub cujus fide navigabant: aut in hortis collocabatur: aut quale Trojæ asservabatur in custodiam & incolumitatem* Urbis, *ligneum Minervæ simulacrum, indè Palladium dictum: aut* Romana *ancilia, & tutelare* Urbis *Numen, cujus nomen prodere capitale fuit: ne cognito eo ac urbe obsessa, quod aliis fecerant, pati: ac evocato Numine, ope destituti Hostibus præda fieri cogerentur: aut deniq; Apollinis simulacrum apud Tyrios: quod somnio cujusdam territi, dum Alexander mœnia obsidebat; aureâ catenâ vinctum, & Herculis aræ alligatum, quasi Deo forti in custodiam datum, ne fugeret, detinere studebant.*

Petr. Arb. Heinsius in Silium p. mihi 484. & seqq. Alex. ab Alex. l. 4. c. 2 Lactant. l. 2. c. 4. Apollod. l. 3. Eurip. Rheso. Camerar. Hor. l. 1. c. 60. l. 2. c. 10.

Emanuel Jesus, Verbum & Sapientia Patris, Tutelare decus, Geniale insigne Scholarum est:

Qui duodocennis hunc Ordinem præsentiâ suâ divinâ, doctrinâq; mirabili sanctificavit. Hunc meliori titulo, quàm ullæ aliæ sectæ, ut imaginem; Symbolum & tutelam venerari Scholæ debent.

Porrò

Porrò in Scholis Imperantium *natura aristocratica est, administrandi modo Monarchicè temperato. Quo olim Spartæ Rex, hodieq; Venetis Dux; eodem munere fungi solet in Scholis Rector: cui nonnunquam Scholarchæ imminent, ut illis Ephori: Collegæ reliqui, ut consilium publicum & Patres adjunguntur.*

t.t. C. de Profess. *Hi Magistratus sive Præceptores rite & solenniter eliguntur, vocantur, investiuntur, inaugurantur, insignibus, sceptris & fascibus suis decorantur, Regalibus privilegiisq; gaudent, jurisdictionem in subditos exercent, leges figunt & interpretantur, ordines Corporis Scholastici, officia, operasq; dirigunt; præmia pœnasq; moderantur; nec in ullo non imaginem boni Magistratus repræsentant. Nec aula, nec Palatia, nec ministeria desunt. Et sicut in Principe multum interest, quibus virtutibus, quibus moribus, quâ ætate, quâ fortunâ, quâ auctoritate, quâ prudentiâ ad Rempubl. accedat; quo victu, quo amictu, quorum familiaritate & amicitiâ utatur: sic in bono Præceptore omnia ista solicitè expendi, est conducibile.*

Plut. de Republ. *Chæronensis Philosophus præcepta Reipubl. gerendæ peculiarem in libellum*

apis instar è variis auctoribus comportavit: inter ea nullum invenire est, quod non etiam Præceptori bono præscriptum videri queat. Comicus omnia succinctè suo more complexus, εἰκὼν ἐστὶ, ait, βασιλεύς ἐστιν ἔμψυχος θεοῦ. *

* Imago summi viva Princeps est Dei. Menand.

Deus certè omnium Rex, omnium Dominus; idem omnium Rector & Præceptor, in terrâ vicarios suos habet. Magistratus & Præceptores: qui radiis divinæ imaginis scintillantes splendorem inde acceptum latè diffundunt: inviolabilis Monarchæ illius sanctissimi character. Bonum etiam Principem nihil differre à bono Patre, *qui edisseruit, è tripode locutus videtur. Cui oraculo Erasmus suffragans,* Bonus Princeps, *inquit,* non alio animo debet esse in suos Cives, quàm bonus Paterfamilias in suos domesticos. Quid enim aliud est regnum, quàm magna familia? Quid Rex, nisi plurimorum pater? *Homerus* ποιμένα λαῶν * *vocat: quem Pythagoras secutus,* Similia boni Pastoris & boni Regis opera *pronunciavit. Æquè Pastori, æquè Patri, æquè bono Patrifamilias contenditur bonus Præceptor. Inde evenit, ut è Chaldæorum Ægyptiorumque instituto Liberi non nisi à Parentibus*

Chrysantas apud Xenoph. Cyrop. l. 8.

In instit. Princ. Christ.

* Pastorem Populorum.

Diodor. l. 1. n. 81. l. 2. n. 29.

Plut. Apophr. Lac.

aut Cognatis erudirentur. Agasicles quoq; Lacedæmoniorum Rex interrogatus, cur Philophanem Sophistam non admitteret: horum volo discipulus esse, *respondit*, quorum sum filius. *Sic David Salomonem, Tobias filium, Nestor Antilochum, Æneas Ascanium, Cato Censorius filium, ipsi erudierunt.*

1. Reg. 2. Tob. 4. Iliad. Ψ. Virgil. 12. Æneid. Plut. Cat.

Apud Persas splendidissima & accuratissima erudiendæ Juventutis olim ratio viguit. Præceptores è publico petiti, in oculis Civium ætatem teneram juxta & adultam formabant, quod speciosissimè, ut solet, Xenophon memoriæ consecravit. Nec minus eleganter idem Xenophon, ut & Plutarchus, Lacedæmoniorum disciplinam describunt: à quorum verborum sanè aureorum & Cedro dignorum relatione mihi invitus tempero. Ut veteribus exemplum ab hac tempestate subnectam, Sereniss. Chattorum Princeps Mauritius, quo ardore hanc in Republicâ partem curet, vel ex eo liquet: quod non modo exemplo Alexandri Magni, Antonini pii Imp. & aliorum non sequioris notæ Principum, aulicos pueros ingentibus stipendiis alit; sed etiam professorium obire munus, vel professores audire, principali eminentiâ non indignum

l. 1. Cyropæd. Xenoph. Republ. Lacedæm Plut. Lycurgo.

Curt. l. 8. Capitolin. Anton. pio.

dignum judicat. Id admirationem meretur, feminas quoq; Liberorum institutioni operam navasse. De Eurydice Illyriâ Epigramma Musis dicatum, & ab injuriâ temporis immune servatum exstat: quod eam licet barbaram, licet grandem jam natu, ut tamen filios erudire posset, literis operam dedisse, *testatur.* Plut. de lib. educ.

Huic adjungenda Cornelia Gracchorum mater, stupendi animi femina, tantæq; dignationis, ut à potentissimo ejus seculi Rege nuptiæ ejus secundæ ambirentur. Quid illa? In Filiorum institutione domesticâ adeo profecit: ut, cum cæteroquin Gracchi ingenio essent naturâ perquam polito; melius tamen instituti, quàm nati *vulgò existimarentur. Quæ muliebris institutionis ratio non inconvenienter in Republ. cum Gynæcocratiâ contendi potest. Sed nunc ordo exigit, postquam de Imperantium utrobiq; naturâ cursim disputavimus: ut de Subditorum nunc differentiis & civitate literariâ videamus.* Id. Gracchis.

Ac primùm quidem omnes Scholæ Cives *nomina sua dare, & quasi fidelitatem jurare; sicq; in matriculam inseri, in Scholasticâ Republ. tenentur: Mox in Classes, hæ in Centurias,*

rias, Decurias distribuuntur. Sigillatim differentia ingeniorum fortunarumq; in numerato est. Sunt huic corpori sua privilegia, sunt Comitia, Collegia, Panegyres, Ædificia, & Loca privilegiata, sunt Sodalitates & Familiæ quoq; sunt privatæ Operæ, Leges domesticæ, Peculium literatum, supellex libraria, Conventus & Exercitia; Sic uniti & distincti leges, jura Civitatis suæ & Consvetudines docentur, & ad officium, ad operas, ad exercitia, manuductione aßiduâ, asvefiunt. Demum in Ordines differuntur. Sunt enim aliqui dignitarii: *(sic loqui cum Politicorum Scholis fas sit) qui partim Nobilitatem claris Parentum imaginibus & armis fulgentem adferunt: partim ob merita & ingenii dotes eximias, præmiis, loco q; conspicuo à Literarum Imperatore nobilitantur: partim Principum, Ducum, Comitum, Baronum, Nobilium sive simulacrum, sive sementem præ se ferunt. Quis enim scit, quæ fortuna hinc digressos, sive militiæ, sive in foro sit exceptura: ad quos illud Comicum celeuma pertinet:*

Μέμνησο νέος ὢν, ὡς γέρων ἔσῃ ποτέ *

* Puer mementote Senem quondam fore. Menand.

Sunt deinde Beneficiarii, *quibus pro circumstan-*

cumstantiarum ratione & dispensatione Ludimoderatorum, beneficia Privilegiaq; indulgentur. Quod ipsum quodammodo Feudorum consvetudini, in Rempubl. à Longobardis aut unde unde acceptæ aßimulatur. Sunt deniq; Munerarii; *qui muneribus in re Scholasticâ ordinariis extraordinariisq; funguntur. Tales sunt in Primâ Classe Decuria prima, qui Senatum cum Præside referunt: quorum officium; delinquentes in forum Scholasticum ad dicendam causam producere; in Præceptorum absentiâ petulantiam cohibere; de Orationibus aliisq; Exercitiis judicare; præmia pœnasq; designare merentibus; & reliquis bono laudabiliq; exemplo viam praire, chorumq; ducere. Præses eorum suffragiis eligitur deponiturq;. Hi consilium, hi judicium exercent, Persici instituti æmulatores non infelices: nec minori, puto, fiduciâ & solennitate, quàm alicubi in Republ. Nec est, ut quispiam illa judicia Campanæ sine pistillo conferat. Præsto ministri sunt executores, & instrumenta pœnæ fasces & virgæ. Censores insuper hæc nostra Respubl. sustinet & Præfectos, & Quæstores. Illi in ipso Corpore Scholastico constituti de moribus, de vitâ, de officio* Xen. Cyropæd. l. 1.

 singulo-

ſingulorum inquirunt. Iſti decuriis, operis, dietæ, Exercitiisq; præſunt. Hi exteriùs ſiti, acceptorum, expenſorum tabulas curant. Muneris extraordinarii, veluti Legationis ſpeciem præbet; ſi quis Scholaſticorum vel ad honoratiores viros officii publici cauſa ablegantur; vel aliis negociis decentibus adhibentur. Et ſic primus ſubditorum ordo habet Dignitariorum, Beneficiariorum & Officiariorum: dum interim Ciceroniani ignoſcant, iſtiusmodi vocabula mutuò à Politicis ſumi. Memini Præceptorem olim meum, quem honoris causâ nomino, Johannem Stralium V. C L. ſub exordium aliquando lectionis dixiſſe: Se quoties Scholam ingrederetur, videri ſibi ingredi navigiū illud, in quo, duce Noächo, ſecundi Mundi ſunt ſervata principia: ibidem noxia pariter & innoxia, nobilia & ignobilia ambulaſſe animalia: nec ſecus in Scholis varia ingenia ad diverſos vitæ uſus & abuſus adoleſcere. Sunt itaq; in altero Civium literatorum ordine promiſcuè docti, rudes, boni mali, domini ſervi, Agricolæ, artifices, opifices, Mercatores, Venatores, aurigæ, nautæ, operarii, mercenarii, & ad ultimum proletarii, qui numerum faciunt, &

fruges

fruges consumere nati. *An hæc igitur non genuina Reipubl. imago? Imò & fundamentum & seminarium est. Diophantum Themistoclis filium sæpiusculè ad æquales gloriatum legimus:* quicquid sibi, idem Atheniensibus probari, adeoq; rem civilem à se gubernari. Nam à se matrem, ab hac Themistoclem, à patris nutu Populum pendere. *Puerile jactamentum est, quod verius de se usurpare Juventus literaria, commento novo, hac ratione posset: Civitati fieri, quod sibi fiat. Inde enim olim progressuri, qui Rempubl. in partibus ejus sibi credendis, ut loquitur Imperator, sint gubernaturi.* Plut. de lib. educ. Proœm. Instit.

Hìc autem videor audire Politicum aliquem Pyrgopolinicem: qui hactenus fieri potuisse, *garriat,* qualem qualem comparationem inter suam, id est, civilem Rempubl. & nostram literariam: de cætero autem non stare: nihil imbellibus Musis cum Marte commune esse. *Bona verba, quæso, mi Vir: fave parumper linguâ: & nos tibi hoc negotium dabimus expeditum.*

An verò excidit è memoriâ, non Musas solùm, sed etiam Palladem illam galeatam, loricatam, Phornut. Albricus.

ricatam, hastatam, ageleida illam prædatricem, Tritogeniam, populi servatricem, auxiliatricem, equorum domitricem, Giganticidam, imò totam Martiam; sed Herculem quoq; Orbis domitorem, Patronos Literarum & Præsides ab antiquitate fuisse cultos & adoratos? Palladis certè simulacrum, uti in numismate veteri expressum, nihil aliud repræsentare videtur, quàm literarum armorumq; ceu benignorum in conjunctione siderum faustam unionem. Sunt hæ alæ, quibus ad Famæ domum, ad templum Gloriæ ascenditur, ita conjunctæ & cognatæ: ut in plerisq; facinoribus inde usq;, à primâ bellorum tempestate gestis; fortitudini bellicæ, an prudentiæ ex institutione liberali suscitatæ plus tribuendum sit, dubitetur; nec apud unum Judicem disceptetur. Quotusquisq; est Dux Veterum sive Græcorum, sive Romanorum, qui, non dicam, primâ ætate literis initiatus; sed in medio bellorum strepitu, in civilium negociorum æstu à literis & Philosophiâ solatium, consilium, opemq; non quæsivit, non impetravit? Ad cujus aures non pervenit: Homeri poëmata, precioso scriniolo (quo Darius ante charissima κειμήλια reposuerat) condita tum in

expedi-

expeditione illa famosâ idem præstitisse Alexandro Macedoni; quod inter venandum libri & pugillares Plinio secundo: qui non Dianam magis montibus, quàm Minervam inerrare scribit? (l. 1. Ep. 6.) Ille autem Iliada, quam virtutis bellicæ credidit & vocitavit institutionem, semper cum pugione repositam habebat sub pulvino. (Plut, Alex.) Hinc, opinor, consecutus est: ut sicut ipse Achillem sibi imitandum proposuerat; sic ipse non ab uno Imperatorum & Regum postea, ceu bellicæ virtutis exemplar unicum adoraretur. Hujus æmulus C. Cæsar inter arma non indulsit solùm lectioni, sed commentarios insuper, in ipsâ arena militari, inter belli civilis furores confecit. Cum in tumultu Alexandrino ad mare urgeretur: quod prope fidem supra,

Tunc puppe relictâ
Prosilit in pontum, siccos fert læva libellos; (Joh. Sulpitius Verulanus.)
Dextra secat fluctus.

Tantus literarum amor pervasit Heroum istorum pectora: ut eos nec Martis discrimina, nec præsentissima pericula, nec ignes, nec maria, nec mortis metus à literarum commercio separarent. Enimvero dubitet quis, boni illum Militis officio functurum: qui regere exerci-

tum novit ? Quis verò meliùs nosse poterit eo, qui à teneris tam regendæ Reipubl. quàm armorum tractandorum, cognatarumq; artium præceptis imbuitur ? Utrumq; *ad Scholam pertinet, nec aliunde feliciùs hauritur.*

Cic. 2. Orat.

Hannibal Phormionem Philosophum de militiâ animosè perorantem coram Antiocho Rege, sustinuit quidem audire; sed interrogatus, quid placeret Peripateticus : multos se deliros, *respondit,* vidisse, sed qui magis, quàm Phormio, vidisse neminem. *Non defuere superiore seculo, nec hodierno Hannibales. At ignorant violentissimi Homines, quod ipsi mero sudore, sub dio, in castris, in acie, lentissimis experimentis, nec minus periculosis manu didicere : id ab alio, ingenii non omnino infelicis sæpè posse in umbratili hac militiâ,* ἀκονιτὶ, *extra teli jactum, breviore sumtu, tempore multò compendiosiore apprehendi.*

Plut. Lycurgo. Busbeq. Ep. Turc.

Quem in usum nuper Sigenæ Nassoviæ militaris Schola, exemplo veteris Spartanæ, recentiorisq; Turcicæ fuisse aperta memoratur.

Porrò quid in militia fit, cujus simulacrum Schola non ostendat ? Leguntur illic Tyrones, dilectu, si ita ferunt tempora, accurato. *Patria, educatio, ætas, habitus; studia eorundem*

exploran-

explorantur: exercentur ad scuta corrotundata; ad palos: cæsim punctimq; ferire; sagittas, lapides, missilia jacere, portare onus, equitare docentur: armaturâ imbuuntur: inde castrametari, munire, in acie ordines & intervalla custodire discunt. Demum, quid vicino Hoste agendum, quomodo flumina transeunda, pabula quærenda, ferramenta, machinæ, impedimenta tuenda, insidiæ struendæ vel cavendæ, disciplina castiganda, acies instruenda, restituenda, pugna declinanda; quomodo recedendum, quid in pugnâ, quid ante & post, quid in fugâ, quid in obsidione faciendum, & quæ id genus alia discunt. Alio titulo idem in Scholis usu venit. Tyronum Scholasticorum delectus itidem fit, & examen: instruuntur libris, atramentariis, calamis, velut armis: quotidie exercentur: in ordines, centurias & turmas describuntur. Et Principes ibi & Hastatos, Triarios, Antesignanos videre est; nec non levis armaturæ ferentarios, sagittarios fundatores, balistarios & similes: quid ad exercitia, ad velitationem, ad pugnam, hoc est ad disputationes, ad causarum actiones, ad demolienda adversarii machinamenta conducat, do-

centur. Exspectatis donec Hostem literatorum nominem? Est Barbaries, Inscitia, Ruditas, Inhumanitas: contra quem infestâ semper acie standum & pugnandum. Sunt insuper Scholarum Momi, Zoili, Scarabæi invidi: in quos sæpenumero tela è literali pharetra prompta torqueri, calamos velut enses stringi est necesse. Sed quorsum me fero? Epaminondas magnus Thebarum Princeps, cum aliquando ab invidis accusatoribus in foro incesseretur, indignam actionem detrectans, è theatro per mediam concionem in Gymnasium se penetravit. P. Scipio simile quid ab inimicis in judicio repetundarum passus, triumphali coronâ impositâ, in magnâ populi, ad quem ei dies dicta, frequentia, conscendit rostra: &, hac *inquit,* die Carthaginem vestras accipere leges coëgi: proinde æquum est, vos mecum, Quirites, in Capitolium ascendere supplicatum. *Sic dixit: & deserto Judicio, totum populum, secum, quò pergebat, traxit. Hos viros imitemur, & si qui hodie in nos minus æqui; si qui invidi surgentem novæ Scholæ florem incessere parant: omißis simpulariis eorum obtrectatiunculis, cum Epaminondâ in Gymnasium, cum Scipione in*

Plut. de Republ.

Liv. l. 38. Val. Max. l. 3. c. 7. l. 4. c. 18.

ne in

ne in Capitolium properemus, à vero Deo, rerum, quæ feliciter cæpere, felicem successum precaturi.

Hactenus ergo, quid Scholis cum Politiâ, quoad originem & constitutionem conveniat, pro virili excussum, aut potius adumbratum: nisi admodum molestum est; ut pusilli adhuc temporis honorariam auditionem cætero, quod restat, elargiri velis, Serenissime Princeps, Vosq; reliqui Auditores honoratissimi, *etiam atq; etiam rogo.*

Postquam atrocißima primi Mundi delicta universali diluvione essent expiata: proximæ ætatis homines, tanti piaculi memores, ne similis pœnæ recidiva timenda esset; insanâ & monstrosâ turris circa Babylonem mole prævertere & cavere, duce Nimbrotho sunt conati. Genes. 11. Jos. l. 1. Antiquit. c. 5. *Quo facto, idem dux, ut fert hominum natura, insolens, non modò divinitatem quandam arrogare ausus est; sed imperium quoq; sibi posterisq; polliceri perpetuum. Ac licet immane illud & vix credendæ granditatis opus, omnium circumcirca Gentium manibus promotum, absolvi per divinam Nemesin non potuerit: nihilominus tamen alibi terrarum, simili insaniâ*

 in æter-

in æterna, ut falsò erant persvasi, opera, strenuè est sudatum. Videre illa secula Babylonicos muros, Pyramides Æpyptias, Mausolea monumenta, Templa Ephesina, Capitolia Romana, Colossos Rhodios, theatra & amphitheatra stupenda, arcus triumphales, Circos capacissimos, balneas thermasq; sumtuosissimas, aquæ ductus mirandos, naves immensas, maria ponte juncta, montes perfossos, moles insanas, tanquam æterna opum luxuriantium monimenta.

Verumtamen, quem Turris illa, eundem eventũ consecuta sunt prodigia istiusmodi ferè omnia. Turris, ut auctor est Boccatius in de Illustrium fortunâ, in interamnio Babylonio, instar montis aërei hodie visenda, serpentum, draconumq; nidus est. Cætera pleraq; solo æquata, ignibus absumpta, aquis absorpta, ut vix nomen restet: unum & alterum semiexesum, semidirutum, quantulacunq; sui parte væcordiam sui conditoris tacitè damnat. Meminisse enim, quisquis ille fuit, debebat: istiusmodi opera temporum injuriis esse obnoxia: literas verò & Virtutem esse immortales. Ac durat quidem fama tantorum operum, sed non ex sui

l. 1. in Nimbrotho.

ex sui naturâ: verùm quia literarum monumentis immortalitati est consecrata. Quapropter rectiùs fecisse prædicantur: qui curam operamq; suam omnem injuvandis promovendisq; literis & artibus collocarunt: qui magnis impensis Scholas, Gymnasia Academias, Bibliothecas cōdiderunt; subsidia ad indaganda naturæ miracula præbuere; Viros doctos & ingenia eminentia ingentibus sumtibus aluere; & nihil, quod facere ad ornandam & amplificandam rem literariam poßit, omisere. Tales Davides, Salomones, Alexandros, Ptolemæos, Lucullos, Augustos, Carolos, Clementes, Franciscos, Fridericos, Joachimos, Georgios, Rudolphos quævis Secula vidêre, & admirata sunt. Tales hodieq; adhuc etiam inpræsentiarum, cum æternâ hujus Patriæ nostræ laude & gloriâ videre & admirari licet. Quanquam autem hi Heroes suâ munificentiâ nunquā satis laudatâ effecere: ut literarum decor de gente in gentem, quasi per canales perpetuos diffunderetur & feliciter propagaretur: quæ tamen omnium humanorum conditio est, perficere non potuere: ut Scholæ literarum perpetuò uno, unò semper in loco residerent & permanerent: sed illæ aut

desertæ,

desertæ, post aliquod temporis intervallum reconvaluere; aut desolatæ & defunctæ in aliis terrarum partibus resurrexere. Nemini latere existimo, Scholarum ætatem recidivis subinde mutationibus perinde ac Respubl. esse obnoxiam: ac notari in fastis earundem Periodos, tam incrementis, quàm detrimentis nobiles. Estq; revera observatum, occultâ quadā συμπαθείᾳ *Reipubl. statui cum Scholastico regimine etiam hoc casu convenire: ut Respubl. quidem Scholæ gratum præbeat hospitium; sine eâ verò raró feliciter floreat: & eâ langvente & tabescente evestigio langvorem tabemq; contrahat. Cum enim fidelis puerorum institutio Civitatis fundamentum sit; ut in fronte inscriptum hoc Muséum præ se fert: utq; omnium, qui de Republ. verba fecerunt, consensus habet: quis non videt, salutem & incolumitatem totius, à partis hujus* εὐκρασίᾳ καὶ διακοσμήσει * *unicè dependere? Senescente Israelitarum regno, Scholæ quoq; Prophetarum spretæ jacebant & desolatæ: usq; dum ambo irruptione Chaldæorum conciderent. Etiam sub Domini nostri ætatem, quibus corruptelis Scholæ publicæ invasæ fuerint; quàm nefariè tot populi sectis distractæ & depravatæ,*

* bono temperamento & ordine.

ex

ex Evangelistarum historiâ & Josepho sit manifestum. Quam Scholarum ἀποστασίαν *supremum Hierosolymorum excidium est paulo post insecutum. Nec meliorem conditionem aliarum Gentium Scholæ sunt expertæ: quarum aliæ cum Imperiis deletæ aut translatæ; aliæ suâ ruinâ Reipubl. ruinam traxerunt.* l. 18. Antiq.

Quemadmodum Gentium & Rerumpubl. aliæ corruerunt: aliæ aliò migrarunt: aliæ ex ruinis & ruderibus veterum collapsarum erutæ quasi & excitatæ sunt: sic ubiq; terrarum Scholæ. Antiquißima populorum magistra, Chaldæam dico, sive à Belo Semiramidis parente secundum quosdam, sive ante Belum à Noachi filiis excitata, non equidem ita exspirasse, quàm in aliis Orbis partibus transplantata refloruisse videtur. Hinc Persæ, Indi, Ægyptii, Phænices, Æthiopes, Celtæ, Scythæ sua flumina erivarunt; quæ quidem ante plures ætates nunc planè exaruerunt. Quid Athenis factum? Quam urbem veteres quidam Græciam Græciæ & Muséum, *Pindarus* ἔρεισμα sive culmen & firmamentum, *Thucydides* ἑλλάδος παίδευσιν, *è recentioribus alius,* augustum fulgurantis eloquentiæ & exquisitioris sapientiæ

Heurnius de barbarâ Philos. l, 1.

Thucyd. l. 2. Athen. l. 5. c. 1. l. 6. c. 6. Cæl. Rhodig.

entiæ sacrarium *indigitarunt. Periit nihilominus; quæ eadem totius Græciæ fortuna fuit: at ex illâ velut per canales traduces, sapientiæ studium ad Italos, ad Germanos, imò in omnes pœnè orbis angulos feliciter propagatum exundavit. Postquam enim exulare Græciâ, à furentibus Scythis jussæ sunt Musæ: trans mare, trans Alpes migrare visæ, à diversis Patronis hac & superiore tempestate, nidos & sua templa recepere. Ne longè à proposito abeam: per omnem Europam ubiq; largissimam sapientiæ sementem & messem, ubiq; Muséa, Scholæ, Gymnasia erecta & dedicata, cum immortali Conditorum laude, cernere licet. Et quamvis eadem Fatorum legibus sint obnoxia, quæ nihil firmum, stabile nihil sub Sole diutius manere permittunt: est tamen beneficium nullis gratiis redhostiendum, nullâ orationis vi dignè prædicandum: quòd in Germaniâ hodie: & quid de regno tam amplo loquor? quod in dulcissimâ hac nostrâ Patriâ tot Scholæ celebres, Religionis, ingenuæq; literaturæ seminaria surgunt & efflorescunt. Et hîc verum fatenti nequid fraudi sit: ex quo*

Aoniæ lepidæ venientes culmine Musæ
Montanâ gaudent urbe domoq; frui:

quicquid Scholarum hodie in Silesiâ viget; quicquid Zeli est & fervoris, sive in fundandis, dotandisq; Gymnasiis. sive in formandis Puerorũ ingeniis: id omne (audacter dico) uni huic Chrysoreæ deberi: uni Aurimontanæ acceptum referri, in propatulo est. Non nego Smogræ, vel alibi antiquiores fuisse Scholas: sed minus utiles, minꝰ nobiles. Nec dissimulo in hac nostrâ tenue tanti operis principium. Et cur dissimulem? cum satis constet, maximorum quoq; Imperiorum primordia, supra exulum latronúmve fortunam vix fuisse posita: & è tuguriolis prorepsisse, qui regna conderent, & Mundi habenis inhiarent? Nobilitatem crescentis augeri puto, si incrementa tantò illustriora facit; quantò ortus fuit obscurior. Sed in tenui hujus Scholæ sementi statim effulsit, quanta olim messis futura esset: adspirantibus huc clementissimam gratiam, & velut benignis astris intervenientibus Illustr. Friderico Secundo, & Illustr. Georgio Secundo, illo tuo, Serenis. Evergeta, Proavo; hoc Avo, felicissimæ memoriæ Principibus. *Infantiam Scholæ, sic loqui liceat, rexerunt* M. Hieronymus Wildenbergius, *qui anno Christi millesimo quingentesimo è Borussiâ huc appu-*

lit: ut futuri operis auspicium faceret, ac quasi prima lineamenta duceret: exin M. Franſciſcus Sylvius, M. Bernhardus Buchwaldus, & Georgius Helmricus. *Virilitatis annos ſub venerando* Trocedorfio *auſpicata eſt, piæ memoriæ, & ingentis, dum viveret, auctoritatis viro, Sileſiæq; Præceptore bene merito. Tunc latè radios ſuos diffudit, noviterq; poſt Evangelii lucem acceptam, Scholaſtica illa Oeconomia à Trocedorfio inſtituta, ubiq; terrarum fautores & admiratores invenit.* Confluxere tunc ad novas Sileſiorum Athenas undiq; grandi numero diſcentes: nec fruſtrati ſuâ ſpe, poſt exacta tyrocinii rudimenta, primaq; ſtipendia facta, miſſi non modò Parentum Patriæq; deſiderio ſatisfecerunt: ſed etiam aliis in partibus acceptæ eruditionis fructus cum ſingulari tam religionis, quàm literarum incremento & emolumento divulgarunt ac propagarunt. Inde factum, ut ad exemplar Aurimontani Gymnasi plura alibi à vicinis Regulis & Rebuspubl. excitarentur. Vidit tunc læta mater, hæc noſtra Chryſoris, paſſim ſurgentes filias, non ſine eximiâ ſuæ virtutis conſcientiâ, fiduciâ & gloriâ: nec hilum invidit earundem*

rundem

rundem decori & felicitati: satis pro merito coli arbitrata, si suæ illæ filiæ, Coloniæ nimirum Vratislaviam, Gorlicium, aut aliò deductæ beneficium agnoscerent: & se velut matrem reverenter haberent, comiter conservarent.

Dehinc insignes virtute & eruditione viros quamplures tutores & moderatores accepit: putate Thaburnum, Paxmannum, Circlerum, Kifardum, Auleandrum, Siccium, Crugerium, Feigium *novissimè &* Laubanum *VV. CLL. & eruditionis virtutisq; gloriâ eminentissimos: quorum hic nostra tempestate* Illustr. Bregensis *Gymnasii, immortali magnificentiâ à* Serenifs. Principe Dn. Johanne-Christiano Silesiæ Duce Lignicensi & Bregensi, Regio magni Ducatus Præside, Heroë incomparabili, *recens feliciter instaurati habenas cum laude moderatur. Ac quanquam nec* Reverendifs. Illustrifs.q; Principis ac Domini, Dn. Joachimi-Friderici, tui serenifs. Domine Parentis memoriâ sanctissimâ Principis *cura, nec Rectorum vigilantia quicquam unquam omitteret, quod ad ornandam tuendamq; Scholam facere videretur: nullo tamen modo prohiberi potuit: quò minus hæc*

quoq; Schola in fatales Periodos incideret. Sensit itaq; fato aliarum tàm Scholarum, quàm Rerumpubl. morbos, sensit decrementa, sensit majorem vim & fluctus decumanos; & nuper (ô durum & abominabile verbum!) prope interitum. Tibi soli cognitum, Jehova opt. max. *qui manu potente imperia Scholasq; regis, qui omnibus, quæcunq; hoc Cœli ambitu continentur, ordinem legesq; præscribis, qui solus Sapiens, potens, justus, misericors: tibi soli, inquam, cognitum: cur charam hanc Urbem, ad instar Patriæ dilectam, tot calamitatibus, tot periculis, tot devastationibus subjeceris. Non uno pœnarum genere, quibus aliàs singulis tota Regna non affligi tantum, sed & deleri solent, parvo temporis interliminio afflicta, concussa, & solo tandem æquata fuit. Cœlum, aër, undæ, flammæ & ipsa tellus in damna interitumq; ejus armata conspiraßse videbantur.*

Ecquis maxima flammæ
damna æquet, quæ dira dies dedit unica, fando?

Hic in memoriam venit infelicis illius captivitatis, in quam justo dei præpotentis judicio Israëlitæ inciderunt. Jerem. c. 1. v. 4. & 16. c. 5. ℣ 15. & 16. Quomodo viæ Zionis lugent (*lamentatur Propheta nomine Populi*)
quòd

quòd nulli veniant ad solennitatem: omnes portæ ejus sunt desolatæ, Sacerdotes ejus gementes: virgines ejus mœstæ, & ipsa amaritudini est sibi. Propter hæc ego fleo, ex oculo meo, ex oculo meo descendit aqua, quia longè abest à me consolator, qui reficiat me. Cessat gaudium animi nostri: convertitur in luctum chorus noster. Cadit corona Capitis nostri: væ jam nobis, quòd peccavimus. *Profectò magnus iste dolor & squalor, quo tot annos captiva plebs obruebatur, non potest ullius cogitatione satis percipi, nedum sermone depingi. Jam desiderio Messiæ prope fessi, cum adfuturum propediem crederent; desubito excisa urbe, deleto sacrificio, cum regno in miserandum exilium proturbantur, extorres servitute durissimâ premuntur: & licet Prophetarum quorundam consolationibus erigerentur: parum tamen à desperatione abfuit animus malorum mole submersus & emaceratus. Satis grandis & efficax luctus fuerat, quo Populus perculsus est, cum arcano à Philistæis capi contingeret: ac tunc quidem, gloriam ab Israële emigrasse, sunt lamentati. Hîc verò omnia perdita: regnum, Sacerdotium amissum; religio & sacra* 1. Sam. 4. 2. Reg. ult. 2. Chron. ult.

profa-

profanata & proculcata : Urbs, *Templum diruta : agri vastati : populus in prædam abductus ad injurias servabatur. Sicubi humana ratio cæspitat : hoc certè saxum, etiam fortibus & obduratis formidabile : difficultas humanis viribus ineluctabilis. Reminiscere hîc, ò afflictissima olim* Aurimontana, *tuam calamitatem : quæ quidem repentina, immanis, horrenda ; sed Dei præpotentis beneficio, nondum cum Israëlitarum illâ conferenda. Extremum malorum, quod justo Dei judicio illis inflictum fuit bellum; & ex eo teterrima servitus. Hoc à nobis misericordia Domini perpetuùm amoliatur. Illi quadraginta præter propter annos in squallore relicti : nos quod refecti citius, nec consumti sumus, misericordiæ Domini debemus. Tandem Persicorum Regum indulgentiâ Judæis copia redeundi,* Urbemq; *& Templum reædificandi & resuscitandi fuit facta : Sed quæ pericula, quas calumnias & interruptiones, quæ impedimenta & probra tolerare sunt coäcti, antequam Nehemiâ & Esrâ ducibus* Urbs *necessariis munimentis custodita renovaretur. Ecquem verò non moveat: cum audit Seniores Israëlitas memores Templi prioris, utpote magnificen-*

gnificentißimi; lachrymas non tenuisse: dum novi Templi fundamenta jaci viderent: unde tantus commiserantis populi ejulatus subito obortus sit: ut jubilantis turbæ cantus præ aliorum ejulatu exaudiri non potuerit? Nos quibus maturè Deus ἀπὸ μηχανῆς, *ut dicitur, adest, optabiliore certè conditione fruimur: nec adigit præsentis temporis status: ut priorum calamitatum, malorumq́; præteritorum memoriam plus æquo refricemus; lacrymisq́; hodiernum festum, in quo tanta ex alto nobis adspirat gratia, dedecoremus. Præstat Romanorum institutum sequi: qui in sacris studiosè cavisse leguntur: ne quod verbum alicui excideret; quod omen minus secundum faustumq́; facere, &, ne perlitaretur, efficere quiret. Antehac equidem Cœnobium hoc à Divâ* HEDWIGE *ante annos quadringentos & sex fundatum; superiore seculo Musis sacratum, & postea miserabiliter flammis deformatum, desiderare suum Nehemiam; Museá cultoribus vacua gemere & vocare priores Dominos; parietes plangere; ipsa hæc pulpita clamare & implorare sui decoris assertorem visa sunt. Sed hodie recuperata esse omnia, ipso habitu lætiore* Peuc. divinat.

ameniore candidioreq; testantur: dum tuum jubar, Sereniss. Princeps, *tam largiter hauriunt: dum gratiosam tuam præsentiam sentiunt: dum à Te gloriam, à Principalibus tuis auspiciis fiduciam, ornatum & robur consequuntur. Hodie veluti olim Hierosolymæ à Nehemiâ instauratæ; Roma à Camillo redemta, ab Augusto ornata; Smyrna à Commodo refecta, ab aliis Imperatoribus & Regibus aliæ Civitates reparatæ innovatæq; fuerunt; sic hodie, inquam, Aurimontana, demissum paulò ante & squallidum caput rursus extollit, libertatis & ornamenti sui vindicem Dominum decenter venerata. Gaude & exulta Generosi Parentis chara Filia: & ex hac secundissimi tui ortus felicitate posteros metire. Si quid offendit nascentis thema indispositus alicujus Planetæ adspectus: crede, sine noxâ tuâ abiturum: Dum Illustrissima Principis virtus ita suam lucem tibi impertiat: ut ne alius luminibus tuis officere queat. Nec enim audire possumus, nec debemus eos: qui sive væcordiâ sive odio literarum, benigna Principum lumina à Scholis avertere satagunt: propterea* quod literæ, ut *ajunt,* corpus effeminent, animum emasculent: quod

hodie

hodie alia Seculi conditio, cum satis ubiq; Scholarum vigeat, & nescio quam roseam sectam & vitam Mundus parturiat: quod deniq; Mundi finis instet. *Pace vestrâ*, Benevolentiss. Auditores, *unum & alterum (nam in promptu est) respondere liceat.*

Studia literarum emollire humanas mentes, bonum dictum. Emasculari autem per ea animum, citra calumniam non potest dici. Id enim quod perditas in Paradiso ingenii vires instaurat: quod humanitate & virtute & prudentiâ & auctoritate animum imbuit; quod contra pericula, fortunæ casus ancipites, contra ipsam mortem Homines armat, quod immortalitati eos, mirandâ ἀποθεώσει *consecrat: quod Hominem tandem non nisi in summo Bono, in Deo Opt. Max. quiescere facit: quomodo quæso, id effeminare animum potest dici? Scholas vigere hoc seculo, non negamus: sed nec illud; plerisq; aquam hærere. Dum enim antiquam lyram delirantes, nec horum temporum conditionem, nec genuinum institutionis finem, nec media, per tot hactenus annorum experientiam castigatissima attendunt: etiam hoc dari postulamus: plures negligi & corrumpi discipulos*

in aliquibus, quàm opportunè duci
ad Sapientum templa serena.

De Rosea secta, quam fama celebrat, si qui aureos sibi montes licentiosius policentur; videant ne cum Cane Æsopico umbræ inhiantes carnem amittant: aut cum Hannone Carthaginiensi, dum tantam felicitatem affectant, oleum operamq; ludant. Is divinitatis titulum aucupans, aves cicuratas garrire multis impensis docuerat hæc verba: Hanno est Deus, Hanno est Deus. Sic doctas emisit: fore ratus, ut eandem cantilenam, quam in caveâ didicerant, in vulgus differrent. Aviculæ verò non tam subito ad libertatem, quàm ad vocem quoq; naturalem liberam rediere. Mirum sanè, si Mundus senex jam & effœtus, ut vulgò credunt, tam florentem prolem produceret! Vereor valde, ne de tali partu diverbium illud usurpari poßit, quo dicitur, Montes parturire.

Ælian. l. 14. v H. c. 30. A Maximo Tyrio differt. 19. vocatur Psapho; In scolio Dionis Chrysostomi ἀψεφᾶς. Ubi non nihil variat.

Non equidem invideo: miror magis:

Quòd de tantâ futuri seculi felicitate: quantam illi venditant, ne verbulum sit à Christo & Apostolis; imò contrarium prædictum. Præstigias omnia tempora vidêre varias: tantam verò prosperitatem ne Sabinus aliquis somniare per

re per

re per auream corneámve portam potuisset. Æquè deinde frivolum est, quod de instanti seculo è quercu fortè Dodoneâ jactitant. Nemini, ne Filio quidem Hominis secundum humanitatem, cognitum illud tempus. Solius divinæ virtutis opus tempora disponere, Mundum ponere & tollere. At posito, non concesso protinus, esse ad extrema ventum. Malus profectò Oeconomus, qui aquis crescentibus aggere aquis non cavet. Tantò enim solicitius est vigilandum & operandum: quantò metus propior. Si hæreses exsurgunt: si pericula urgent; si judicium prope: cur Juventus egregiè non munitur? cur emerendæ immarcescibilis Coronæ gratiâ, quæ Scholarum fautoribus parata; etiam in hoc opere, cum alia longè ignobiliora ferveant, non sudatur? Si diem Mundus duraret? si cras Judicium foret? at qui hodie talem sementem facis; cras messe frueris: qui pridie Scholam facis: postridie te ut stellam, ut sidus Firmamenti refulsurum, verbo Domini prædictum habes. Si eandem ob causam non sereret Agricola, nec surculos pangeret: si ditiores exemplo Nisei Syracusani pecunias (quod Patrum memoriâ non uno in loco factum narratur

Daniel. c. 12. v. 3.

ratur) inconsulto profunderent: quid futurum putatis?

Apagite ergo cum erroneis & anilibus istiusmodi nugamentis, & facessite tales à puris Musarum sedibus!

Nos meritò Heröas nostros, qui Scholis, & per has Mundo consultum eunt, suspicimus, miramur, veneramur, & tantum non adoramus, tanquam à Deo missos ad id & donatos.

Quandoquidem etiam nobis talis Evergeta, verus Nehemias divinitus obtigit: quid vetat, quin obliteratis calamitatibus, omißis querimoniis, neglectis invidiæ rumusculis, hunc intueamur, veneremur unicè; in hoc secundum Deum spem nostram sitam profiteamur.

Ita me præsentis beneficii splendor, futuræ prosperitatis spes hoc momento occupat: ut parum memor prioris argumenti, de quo me non sufficienter debitum; sed nimium pro tempore dixisse vestra patientia convincit; nunc me totum ad gratias Johovæ primùm; dein tibi Illustrissime Evergeta; *demum Vobis quoq;* Patroni, Fautores, Amici excellentissimi, *agendas convertam.*

Magne

MAgne Jehova, meam non dedignate juventam
In cathedrâ posuisse istâ, nunc suffice vires:
Sufficere ut possim rebus, te Rege, gerendis.
Nominis alma tui nos effice templa; tuere
Clementem Patriæ Patrem cum Conjuge charâ;
Cumq; Domo totâ: inprimis qui servat habenas
Elysias: rege Consilii moderamina: quævis
Damna cave his Sanctis alvearibus: ut tua totum
Florescens benefacta canat Schola nostra per Orbem.

Et tibi, quas possum, Princeps Celsissime, grates
Expedio, Numenq; tuum venerabile lætus
In mea vota voco. Quod sanctè est, perfice, cœptum.
Hactenus, ut decuit, cinefactæ consulis Urbi:
Concedisq; locis antiqua Palilia, ut alter
Nehemias, Schola nunc sentit quoq; Filia Patris
Nuda voluntatem. Peregrinis ante quievit
Sedibus Arca Dei: quod dedignaris, & illam,
Quid moneant alii, neglecto, sede reponis,
Quæ genialis, amena & certis debita fatis.

Pondera, cui lubitum, Rhodii miranda Colossi:
Aureaq; extollat magnæ Capitolia Romæ;
Et quas contendit moles Ægyptus Olympo.
Is ligna & lapides, grandesq; extollit arenas,

Indiga

Indiga tutoris monimenta, obnoxia sêclis.
At noster, divina, tibi Sapientia, templa
Viva dicat Princeps, nulli cedentia sêclo.
Ingredere, ò Princeps, avibus sacra Templa secundis,
Magna Piasteæ spes, gloria & inclyta Gentis;
Præsidium, & Clarii decus insuperabile Regni:
Ingredere, & dignâ bene cœpta coronide dona,
Sic tibi de nostris annis Deus auxerit annos:
Sic tibi cælesti dederit Deus arce coronam,
Romulidum quovis potiorem, crede, triumpho,
Quæ vel Olympiacæ statuerunt præmia luctæ.
Quantillum insumes, Benedictio dia refundet;
Et nos (tua Cura, sumus, quod jusserit esse)
Semper honorem, animūq; tuum laudesq; canemus.

Multo, Magnifici Proceres, pro munere, vobis
Solvo etiam grates. Vos tutelaria Ludi
Principis auspicio surgentis, Numina, sanctè
Advoco: quod cunctis dedit Illustrißimus Auctor,
Exemplum accipite: & faustis ornate Sareptam
Consiliis: hoc pro merito, Deus ipse triumphum,
Sidereamq; oleam vobis super axe reponet.

Sic quorum nos grata juvat præsentia, Vobis
Gratia nostra vicem reddit, Patres reverendi,
Præ-

Præclariq; Viri, tuq; ò conscripte Senatus.
Ut velut in citharâ, grato discrimine, in unum
Conspirare fides visæ melos; incboet Urbis
Ordo omnis, svavi concentum reddere plausu.
Hoc Deus ex alto nostris indulgeat annis.

Nunc superest, ut ad te, unde primò digressa, Oratio redeat, Venerande & Clar. Dn. GRUNÆE, Patrone & Fautor Parentis ad instar honorande: *tibi gratias, quas possum maximas ago: qvòd vicariâ & internunciâ voce (quam ego ut auroram Solis prodromam veneror) gratiam & clementiam Principalem annunciaveris: quòd Spartam tam decoram tradideris, quòd de officio paternè monueris: Pro his omnibus Deus Te tuosq; largâ & perpetuâ benedictione sospitet, ornet, beet.*

Debebam & ipse Oratione sponsoriâ officii mei rationes edere. Sed cum in tam illustri Concione temporis ratio quàm maximè sit habenda: & ipse longiùs, quam destinaram, orationem provectam videam: tempero mihi, & ad portum me subduco.

Et quid multis? Literis proditum legimus, Athenis duos Architectos, de opere publico conducendo contendisse: ac unum quidem linguâ Plut. Republ.

 melio-

meliorem, in publico multis verborum lenociniis futuram ſuam induſtriam probaſſe; artificiumq; eleganter depinxiſſe: alterum autem, arte quidem, linguâ non item pollentem in hæc prorupiſſe verba: ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ὡς οὗτος ἔρηκεν, ἐγὼ ποιήσω. * *Dicat etiam & præſcribat præcepta utilia, qui poteſt: ego eam ob cauſam me in hac cathedrâ collocatum memini: ut quod puerili ætati nobis creditæ optimum & ſaluberrimum, non modò ſcribi & dici, ſed & cogitari poteſt, reapſe præſtem. Hominem equidem me eſſe agnoſco, nec immunem à communi Humanitatis lege: nec immemorem priorum tempeſtatum: nunc autem in optatum, & ut ſpero, tranquillum fidumq; portum receptus, uti Deo & Principi meo vota dudum facta exſolvo & lito; ita futuram vitam, quantum ejus ſupereſt, iisdem ducibus, Bonæ Menti dico & conſecro: exinde integritatem, innocentiam & fidelitatem vitâ clariorem cuſtoditurus; militiamq; ſecundum Sacramenti formulam, pro virili militaturus. Quantum divina mihi gratia largietur, ſummâ ope, omnibus viribus & nervis eò annitar: ut Sparta hæc, auſpiciis tuis,* Sereniſſime Princeps, Domine clemen-

* Viri Athenienſes, quemadmodum hic dixit, ſic ego faciam.

tiſſime

tissime, mihi credita, per me sarta tecta, imò per Dei gratiam, quàm maximè potest, ornata in optatum illum à multis florem reefflorescat. Quod Deus opt. max Ecclesiæ & Scholæ, Reiq; publ. & nobis omnibus & singulis bonum, felix faustum & salutare esse jubeat.

DIXI.

DISSERTATIO,

De prospero negotii suscepti successu, quomodó is rectè sperari possit,

Ex

Libro I. Cyropædias Xenophontis,

Ad instaurationem Ducalis AURIMONTANÆ accommodata

à

M. DANIELE VECHNERO.

Lipsius l. de Milit. Rom. ex Polybio.

QUi olim cives erant reipub. Romanæ, stipendia illi viginti, si pedites erant, intra annum ætatis 46. facere cogebantur: quibus confectis vacationem habebant, & non nisi in gratiam Consulum ad signa redibant: ad quæ cum amanter invita-

invitarentur, ex eo Evocati dicebantur. Non absimilis mea nunc ratio est, Celsissime & illustrissime Princeps, Domine clementissime, Magnifici aulæ Ducalis proceres, viri nobilissimi, reverendi, clarissimi, cives honoratissimi: annum nunc ago 47. & in hac militiâ Scholasticâ cum lapsu anni superioris viginti numeravi stipendia, ut more prisco Veteranis accensitus, & legitimâ militiâ defunctus fuerim: At in gratiam tuam, Domine, sed & patriæ mihi semper charissimæ, evocatus pareo, auspiciisq; Ducalibus duram hanc militiam subeo, & cum nunc vacationem habere debebam,,

Me rursus in bellum resorbens
Unda fretis tulit æstuosis. Horat. 2. Od. 7.

Imó veró æstuosis, sive difficultatem spectes, sive periculum. Quantæ enim Deum immortalem difficultatis est, Scholam penitus collapsam instaurare, & velut ex cineribus de integro

superas educere in auras?

quantæ hoc dexteritatis! quantæ industriæ! quantæ sedulitatis est opus! non hîc desidiæ locus est, non remissioni, non cunctationi, qui

qui talem ſuſcepit provinciam : quin imó

Virg. 1. Georg.

ſi brachia forte remiſit,

Atq; illum in præceps pleno rapit alveus amni.

Quod ſi jam advigilavit probé, ſi ſobrié, ſi frugaliter omnia, quæ ſui fuerunt muneris, accuravit, nec tamen eventus (*qui in noſtra non eſt manu*) conſiliis & actionibus reſpondet, periclitatur fama etiam ſolertiſſimi, & maximé induſtrii magiſtri : gratiæ veró auram, quæ initia ejus benigné afflavit, nunc rarem ejus plané deſtituit : & quem modò ſuſpiciebant, nunc contemnunt; cujus nomen jucundum ipſis fuerat, nunc inviſum eſſe incipit : & ut uno dicam verbo, qui modó præclaré vigebat, nunc in omnium animis eſt mortuus : ut non abſurdé veteri formulâ funus indicere liceat: Ite exequias, quibus commodum eſt, fato infelici exſtincto didaſcalo.

In hac veró difficultate, ac lubrico rerum ſtatu, devoto ac humili animo gratias ago clementiſſimo Principi ac Domino meo, qui ſapientiſſimo ſanè conſilio, meo me jure uti voluit : & cum veteranus ſim, & evocatis accenſitus, ſummam rerum doctiſſimo viro JONÆ MELIDEO, qui & ævo & ingenio viget, commiſit :

misit: me veró lateri ejus adjunxit, ut in partem venirem, & ut Plautino verbo dicam, amicus ei sim consiliarius, atq; etiam auxiliarius. Bonum factum! ero, quem me esse vis, Celsissime Princeps, & illud Symachi per Te nunc mihi dici puto: *Quisquis bonæ frugis est, in publicum commodum vindicatur*: atq; ideo omnibus industriis hoc pium & salutare opus adjutabo, & in secundos labores reparatam virtutem, prosperumq; successum á Dei benignitate expectabo: ac ne temeré ita sperare videar, de hoc ipso in augustâ hac panegyri breviter dissertabo, & quâ ratione felicem quispiam successum polliceri sibi possit argumenta dicam, eaq; non in meo cerebro nata, sed à Xenophonte mutuata. 1. Epist. 58.

Itane verò, inquies, alienis te ornatum is plumis? certè placet. Sic namq; verbis meis gratiam mutuabit tanti viri autoritas, nec fumos vendere censebor Principi meo, & magnificis aulæ Proceribus, qui non domi nostræ nata, sed â gravissimo scriptore accepta in medium profero: sed & simul specimen edidero, quomodo juventus veterum scripta in succum & sanguinem suum, (quod dicitur)

citur)

citur) convertere debeat. Certè quo longius hæc volvo, hoc rectius mihi facere videor. Ita namq; cum ratione hanc provinciam, & bonâ cum ſpe ingredi putabor: nec minus & mearum operarum præclarum nunc documentum propono, cum potiſſima mihî cura fuerit, ut ex veterum ſcriptis ad veram prudentiam informem juventutem. Agite igitur, Celſiſſime Princeps, Ducalis aulæ ſummates, viri magnifici, nobiliſſimi, reverendi, clariſſimi, politiſſimiq́;, agite Xenophontem latino vobiſcum ſermone fabulantem, & negotii bonâ cum ſpe ſuſcipiendi rationem præſcribentem, attentis auribus auſcultate, meq́; verba & mentem ſapientiſſimi ſcriptoris accuratius penſitantem, & quæ ille mirâ brevitate adumbravit, paulo latius ediſſertantem cum benevolentiâ attendite. Tædio veſtro medebitur mea dicentis brevitas: ſed & ipſa rei, quam tracto, utilitas audientiam facilé ſibi conciliabit. Quis enim non cum voluptate audiat rebus agendis optatum eventum præſcribentem, ſiquidem verbis Theognidis

πρᾶγμα δέ τερπνότατον οὗ τις ἐρᾷ τὸ τυχεῖν.

Quæ validè cupias, res eſt jucunda potiri.

Antequam

Antequam verò rem ipsam aggrediamur, breviter præmonitum volumus, duo esse genera hominum, qui felici successu frui in sacris dicuntur: ac primum quidem, qui verâ Deum pietate colunt, illi, *quidquid facient,* Ps. 1. ℣. 3.
prosperari dicuntur: sed & de impiis, qui Christum & ejus pia membra scelerate & astuté persequuntur, scriptura tradit, eos *efficere cogitata, & prosperari in viis suis.* Ps. 37. ℣. 7.
Verum nos hujusmodi tales ab sermone nostro segregantes, divino eos committemus judicio, & brevem eorum prosperitatem sempiternâ infelicitate compensatum iri autoritate sacrarum Ibid. ℣. 37.
literarum ipsis denunciamus: hoc verò loco saltem de honestis, de licitis, de piis actionibus, nec ut illæ ad æternam salutem singulorum; sed ut ad vitæ hujus commoditates, & felicem statum referuntur, verba in præsenti sumus facturi. Ita enim piis prosperitatem promitti novimus, ut ad suam ipsorum salutem calamitati & cruci sint subjecti; sed ut *finis ipsorum sit pax,* & adversitates omnes læta Ibid. ℣. 37.
excipiat catastrophe; at quæ vitæ huic degendæ utilia sunt & necessaria, consilio ac ratione feliciter dirigi posse censentur. Sed & in his

ipsis, objiciat quispiam, non ita nobis licet præscribere eventum, ut non quám sæpissimé spes nostras ac manus calvetur. Etsi enim
Sen. Ep. 4. sapientissimé quis remigerat; tamen *de eventu fortuna judicat*, qui, ut Comicus loquitur:
Plaut. 1. Mostel. 3. omnibus rebus velut horno messis magna fuit: cum agricola quidem,

Columella ubi jam puro discrimine pectita tellus
Deposito squallore nitens sua semina poscit,

ea manu suâ spargat; messem veró non item in manu habeat: ut consilio quidem, quæ agimus, dirigere possimus, successum â solâ Dei benignitate speremus, & expectemus, necesse sit. Ita sané est: & tamen nihilominus prudentis est, prudenter agere, atq; inde spem felicis eventûs concipere; qui licet quãdoq; ad exspectationem non respondeat; non tamen feriatos nos esse oportet, nec temeré quidquam suscipere. Sicut enim optimo jure eos deridemus, qui, quod unicé cupiunt,
Terent. 4. Adelph. 5. Deum *sibi dormientibus confecturum credunt, nihilq; agentibus sibi de cælo devolaturum in si-*
Livius l. 7. *num censent*; ita vice versâ qui seduló, quæ sui muneris fuerunt, ac solerter exsecuti sunt, & bonâ spe prosperi successûs nituntur, pruden-

tes pu-

tes putamus. Etsi igitur Dei munus est felix rerum eventus; eundem tamen non nisi operâ nostrâ intercedente vult largiri: ut qui prudenter ac sobrié rem gerat, de successu dubitare non debeat. Vides prudentem prudentiâ niti in agendo; & tamen successum â solius Dei largitate expectare.

In hanc sententiam præclaré monet Arrianus Epictetus, ut quæ in nostrâ sunt potestate, quàm dexterrimé perficiamus, reliquis veró utamur, ut dant sese. Sed quomodo, inquit se dant? ut Deo visum fuerit.

τί οὖν δεῖ; τὰ ἐφ' ἡμῖν βέλτιστα κατασκευάζειν τοῖς δ' ἄλλοις χρῆσθαι ὡς πέφυκε. πῶς οὖν πέφυκεν; ὡς ἂν ὁ θεὸς θέλῃ. Lib 1. c. 1.

Extra numerum sunt igitur, qui per temeritatem omnia agunt, vel per desidiam negligunt. *Ita enim,* (verba sunt Salviani) *terris frumenta credimus, ut cum usuris credita recipiamus: ideo in vineis labor maximus ponitur, quia homines spes vindemiæ consolatur: ideo negociatores thesauros suos emptionibus evacuant, dum venditionibus sperant esse cumulandos: ideo navigantes vitam ventis ac tempestatibus credunt, ut spebus, votisq; potiantur.*

Lib. 2. contra Avaritiam.

Ex his sané constat totum inter homines spe agi, sed in quo labor & industria quàm maximè occupatur, temeritas & iner-

 tia

tia planè excluditur: ut omni laude dignissimus sit prudentissimus Xenophon, qui cum Cyrus auxiliares Persarum copias Cyaxari avunculo suo regi Medorum contra Assyrios duceret, Cambysen facit filium suum usq; ad fines regni prosequentem, eumq; saluberrimis præceptis onerantem: atq; inter alia quidem prudenter informantem, quomodo rebus suis rectè præesse debeat, ut felicem experiatur successum. Quæ Cyro ibi dicta sunt, nobis accommodabimus: quæ militiæ duci præscribuntur, ad omnes in genere actiones transferemus.

I. Ac primum quidem Cambyses à filio auspiciorum requirit accuratam cognitionem, ut ipse divinitus oblata signa sobriè interpretari possit, ne si ab aliis pendêre cogatur, ab iis falsâ signorum interpretatione in fraudem inducatur. Apage sis, inquis, nugamenta isthæc: Itane imprudens in ipso impingis limine, ut superstitionem gentilitiam velut ab orco revocare, nobisq; obtrudere satagas? Imó veró toto ego animo superstitionem illam detestor, eamq; divinæ lucis fulgore semel profligatam perpetuó hærere jubeo,

Ubi

Ubi fœda tellus torpet æterno situ
Rerumq; mæstus finis, & pigro sedet
Nox atra mundo:

Sen. Hercule Fur. ỷ. 702.

Veruntamen nec priscos illos scriptores tanquam sexagenarios de ponte præcipitari placet; sed quid illis auspicia fuerint, quomodo iis usi, accuratius etiam dispiciendum arbitror; fortásse sub illis latebit quidpiam, de quo utiliter moneri posse videamur. Xenophon certé hoc ipso loco συμβολὰς τῶν θεῶν & παρὰ τῶν θεῶν συμβουλευόμενα illa vocat, ut nihil aliud auspicia ipsis fuerint, quam consilia Deorum, & quæ illi consulentibus quasi responderint. Cum enim in Cimmeriis illis tenebris de Dei voluntate non satis essent certi, hujusmodi talia sibi signa excogitarunt, ex quibus Dei voluntatem, & quasi consilium conjectarunt. Nos veró, qui Dei beneficio ex verbo revelato, quid Deus á nobis fieri velit, quid item vetet, liquidò scire & intelligere possumus, hujusmodi auspiciis non indigemus: imó, cum â solo Deo & verbo ipsius pendêre debeamus, ea superstitiosa esse, & serió vetita novimus: & tamen nihilominus ex præcepto hoc Xenophontéo discimus, ea

Deorum consilia, A DIs suggesta.

 duntaxat,

duntaxat, quæ Deus approbat, feliciter suscipi; quæ invisa illi sunt, non item: ut velut in artibus subjectum præcognosci oportet; circa quod operari debet artifex; ita in agendo negotium, quod suscipitur, ante omnia probè considerandum veniat. Non enim quidquid suscipitur Deo amicum est, sed saltem quod pium, sed quod honestum, sed quod utile & salutare est in vitâ. Non est satis: animo etiam sincero & candido, quod agis, agas necesse est. Non enim quid fiat, Deus respicit, sed quo animo fiat. Nam quod invitus, quod coactus, quod pravâ animi intentione negotium suscipis, tametsi per se pravum non sit, tamen ab animo tuo pravo hoc ei affricatur, ut Deo invisum sit. *Optimus enim animus pulcherrimus Dei cultus est*: contra verò *mali non effugiunt impietatem, quamvis aras sanguine multo cruentaverint*, pié & religiosé scribit Seneca. Ut igitur in oculis domini probum sit, quod suscipis, probo & recto fine, ad quem omnia, quæ agas, referuntur, suscipias necesse est. *Qualis enim finis*, inquit Seneca, *talis hominis actio*. Et non minus docté Epictetus: singulæ, inquit, quæ

Seneca

â nobis fiunt, si ad nullum finem referamus, temeré egerimus; sin, ad quod non decet, respexerim⁹, frustra, laboraverimus. Neq; vero τέλος illud προκείμενον vagum est, & varium, sed semper idem: ᾧ μὴ εἷς καὶ ὁ αὐτός ἐστιν ἀεὶ βίου σκοπός, οὗτος εἷς καὶ ὁ αὐτὸς δι' ὅλου τοῦ βίου εἶναι οὐ δύναται, prudentissimè scripsit prudentissimus Imperator M. Antoninus: *Cui non unus idémq; vitæ finis semper est, is unus idémq; per omnem vitam esse nequit.* Finis autem & idem regula omnium actionum nostrarum est & esse debet DEI gloria, cui omnes creaturas subservire oportet. Sed & si publicæ saluti, si commodis proximi studeas, ita id agas, necesse est, ut huc tanquam ad scopum rectarum actionum omnia collineent. Tuam quoq; ipsius utilitatem neutiquam ita spectaveris, ut eam ab honore & gloria DEI sejunctam velis. Præclarè B. Chrysostomus: *si* DEI, inquit, *gloriam spectares, tuam quoq; assequereris; dum vero tuam quæris præ illius, neq; hac unquam frueris.* Omnium igitur actionum mensura & regula est DEI gloria: sed & salus proximi, ὅτι ἕνεκεν ἀλλήλων γεγόναμεν, *ad mutuum auxilium facti sumus*, secundum Marcum Imperatorem: nec quisquam proximo

Epist. 95. ἕκαστον τῶν γινομένων ὑφ' ἡμῶν, ἂν μὲν ἐπὶ μηδὲν ἀναφέρωμεν εἰκῆ ποιήσομεν· ἐὰν δ' ἐφ' ὃ μὴ δεῖ, διεσφαλμένως.

lib. 3. c. 23.

Homil. 7. ad Rom. εἰ τὴν τοῦ θεοῦ δόξαν ἐζήτεις, τότε ἂν καὶ τῆς σῆς ἐπέτυχες. τὴν δὲ σὴν ζητῶν πρὸ τῆς ἐκείνου, οὐδὲ ταύτης ἀπολαύσῃ ποτέ.

ximo benigné facit, nisi Dei dilectione huc agatur, & mente sacrarum literarum. Itaq; tametsi *nihil quidquam cuilibet seipso propius, nihil carius invenitur*; teste Salviano, *ut omnium sit communis inimicus, qui fuit hostis suorum*, ut vult Cicero; eæ tamen actiones tum demum probæ sunt, cum suam illis & suorum utilitatem quispiam provehit, ut alteri non noceat. Mentis enim sinceritas, quam ad negotium recté suscipiendum afferre debet, hoc ipsum requirit, ne specioso prætextu cordis sui improbitatem obvelet, ac pietatis simulatione multorum impunè perniciem moliatur; sed ut seriò ad ea, quæ honesta, quæ salutaria, quæ pia sunt, feratur: *honestis siquidem manibus*, ut autor est Plinius, *omnia lætius proveniunt*: & ipse Salvator hanc nobis regulam actionibus hujusmodi dirigendis præscripsit: *Quæcunq; volueritis, ut faciant vobis homines, ita & vos facite eis.* Hostes veræ religionis multis astutisq; consiliis hoc agunt, & egerunt, ut ipsi suam potentiam longè lateq; propagent, ac verum Dei cultum extinguant: conatu omnino nefario, propterea quod inani prætextu & Dei gloriam, & salutem

1. Iohan. 4. v. 20.

Lib. 3 ad Cathol. Eccl.

Matth. 7. v. 12.

tem plurimorum innocentum eunt oppugnatum. Lacedæmonii olim liberos suos ita adsuefaciebant ut solerti furto alii rem suam subtraherent, & quo quisq; hac in parte sollertior, hoc melior habebatur: certé more improbo & nequam, cum ad detrimentum aliorum talis vergat industria, & ad fraudes & injurias inferendas utentem adsuefaciat. Veteres Persæ adulteria approbarũt, Scythæ cædibus mutuis gavisi sunt: more omnino scelerato, cum honestati & rectæ rationi tales actiones repugnent. Contra dux belli ex occasione hostem decipit, affligitq;: probissimé. hoc enim refert ad salutem publicam, ut rempub. tueatur, ut incolumitati suorum militum prospiciat, & quantum quidem fieri potest ἀναιμωτί, & sine cæde suorum vincat. At per insidias hoc facit, & dolum: Imó his legibus hostes facti sunt, ut suum quisq; commodum sequeretur detrimentum veró, & perniciem quærat alterius. Suæ igitur socordiæ acceptum ferat, qui studio & industriâ hostis circumventus est, cujus omnia dicta & facta suspecta ei esse debebant. Itaq; hoc primum fuerit, ut in omni negotio feliciter per-

ficiendo probé diſpiciamus, quale ſit illud, quod agendum ſuſcipitur. Hæc optima, hæc perfectiſſima, hæc infallibilia ſunt auſpicia, quib⁹ in conſilium ipſum Deum adhibemus, & ex præſcripto verbi ipſius ſine benigno reſponſo nunquam dimittimur.

II. Provehimur nunc ulterius: ubi de negocio gerendo jam conſtat, conſequens eſt, ut piis precibus nos & actionem noſtram Deo commendemus. Non enim infeliciter procedere poteſt, quod Deo quaſi autore aggreſſus fueris. πολλαὶ δ' ὁδαὶ σὺν θεοῖς εὐπραγίας, *multæ ſunt*

Olymp. 8. *viæ felicitatis cum* Deo, pié profatur. Pindarus: ut ſi unâ viâ, & quam fortaſsé nos intendimus, non ſuccedat, Deus tamen aliâ nos ad

Libr. 2. Epiſt. 64. optatam metam perducat. *Ferunt Socratem* (verbis hoc dico Symmachi) *ſi quando excidit cupitis, aut deſtinatis, id ſibi utile, quod evenerat, æſtimaſſe. Nam meriti ſui ſecurus interpres, ea conjectabat eſſe meliora, quæ caſus dabat, quàm quæ animus appetebat.* Homo igitur ethnicus tantâ fiduciâ ſibi optima quæq; de Deo pollicebatur, ut quâcunq; etiam viâ ſibi omnia feliciter ſucceſſura crederet: nos divinis promiſſionibus ſuffulti dubitabimus?

mus?

mus? aut si non ea statim nobis tribuuntur, quæ petimus, Dei fidem in dubium vocabimus? & non multo melius eum suis prospicere, quám ipsi nobis, credemus? *Certé voluntatem timentium se faciet, & dabit eis petitiones cordis ipsorum,* argutè canit Psaltes: licet non eo semper modo det, ut ipsi expetant. Etsi veró, quæ de piis precibus necessaria sunt scitu, melius certiusq; ex sacro codice hauriamus; placet tamen, saltem propter consensum, etiam ex profano scriptore discere, quâ ratione ut, quod agimus, prosperé succedat, nos Deum recté invocare debeamus. Breviter verum adoratorem ita sibi conscium esse vult autor noster, ut Deos sibi amicos speret: huic exacté consentiunt Stoici, quibus μόνος θεοφιλὴς μόνος εἰδὼς εὔξασθαι, *solus* Deo *charus, solus novit precari.* Hoc vero quomodo tandem assequetur quispiam? uno verbo, si sincero animo Deum invocabit. Sed quia *multis simulationum involucris tegitur, & quasi velis quibusdam obtenditur uniuscujusq; natura,* duas ponit notas Xenophon, quæ de tali animi sinceritate testantur: primam quidem, si non necessitate jam urgente ad preces

Ps. 145. ℣. 19. & Ps. 37. ℣. 4.

teste Diogene & Stobæo.

Cic. Epist. 1. ad q. frat.

 confu-

confugit, ſed cum res ſunt maximé ſecundæ, tum quoq; non immemorem ſe Numinis hoc

Menand. cultu adorationis præbet. Quia enim εὐδαιμονία εἴωθεν ὑπερηφανίαν ποιεῖν, *proſperitas inſolentiam parit,*

Claud. *vitium rebus ſolemne ſecundis:*

certé qui rebus florentibus devoto animo Deo ſupplicat, ſinceritatem ſuam, quâ Deo ſe ſubjicit, atq; omnia ei fert accepta, ſatis demonſtrat. Præclaré Plutarchus, *in rebus*, inquit, *ſecundis habendus honor* Deo, *ut in adverſis cum fiduciâ poſſit invocari.* Sicut enim, qui amicos, ubi res proſperæ ſuppetunt, colit, firmiores eosdem in turbidis etiam experitur; ita qui proſpero rerum ſtatu Deum reverenter adorat, de auxilio & ſublevatione ejus ſecurior eſſe poteſt. Alteram notam piæ ſinceritatis facit, ſi in cultu divino nunquam ſe negligentem & ſocordem exhibuit. Veræ enim pietatis eſt, animo & cogitationibus Deum complecti, & dictis factisq; venerari. Pſ.

℣.30.& 31. 37. Verus autem cultus eſt, (ut ethnicis ſuas ſuperſtitiones & commenta humani ingenii relinquamus, & de noſtro ipſorum defectum ſuppleamus) devota fide, & fideli devotione agno-

agnoſcere Dei benignitatem, qui lapſo Homini redemptionem miſit in Filio ſuo; prædicare juſtitiam, qui propter λύτρον Redemptoris in gratiam recipit omnes ad ſe confugientes; adorare ſanctimoniam, qui ab operibus tenebrarum liberatos per Sp. Sanctum regenerat ad opera Electorum Dei, ut Chriſto Salvatori adhærentes in dilectione magis magisq; adoleſcamus. Qui tali animo Deum adorant, de auditione & felici ſucceſſu non debent eſſe anxii. *Orationis enim puræ*, ut B. Auguſtinus loquitur, *magna eſt virtus, & velut fidelis nuncius mandatum peragit, & penetrat, quó caro non pervenit.*

Poſt pias preces, aut cum iis rem ipſam aggredi convenit, ſed cujus gerendæ rationem probé teneas. III.

Non enim inertes Deus adjuvat, & felici ſucceſſu provehit in rebus, quarum omninó rudes & imperiti ſunt. Si mihi, Excelſiſſime Princeps, permitteretur, ut in hippodromo ducali decurionibus operam darem equeſtribus, profecto non animum inducere, nedum optare auſim, ut palmam obtinerem, qui talium exercitiorum plané ſum expers.

Quantum ego risum moverem omnibus, si joculo tale quid jactarem? quod si serió id expeterem, magno cum odio etiam expellerer. Qui igitur in re aliquâ prospero successu uti cupit, ad illas actiones probè se exerceat, sine quibus illa confici nequit. Prudenter Epictetus: τίς εἶναι θέλεις, σαυτῷ πρῶτον εἰπέ, εἶθ' οὕτω ποίει, ἃ ποιεῖς, *Quinam esse velis, ipse tecum constituito, deinde fac, quæ facere decrevisti.* Qui operas exercere vult mechanicas, arti, quam amat, se addicit, & quo accuratius illi operam suam impendit, hoc felicior evadit artifex. Qui docere alios cogitat, ipse, quæ docenda sunt, discit: τὸ διδάξασθαι δέ τοι εἰδότι, ῥᾴτερον, *docere alios perito facilius*; contra veró

Pind. Olymp. 8.

Quodq; parum novit, nemo docere potest.

Profecto frustra quis prosperum sibi successum pollicetur, qui rei rectè gerendæ rationem & modum ignorat. Sicut enim qui altiora sectatur, quàm quibus consequendis par esse possit, omnem operam perdit, sæpè etiam malum sibi attrahit. τὰ μεγάλα γὰρ ἐπισφαλῆ δι' αὐτὸ γίνεται τὸ μέγεθος, *magna lubrica sunt propter ipsam magnitudinem*; ita qui ea tentat, & ag-

Dionys. Longinus περὶ ὕψους 122.

& aggreditur, quorum omninó rudis eſt, is fruſtra ſe fatigat, & omnium ludibrio exponit. Quomodo enim victoriam in equeſtri prælio ſperet, aut â DEO petere auſit, qui ipſe ſtudiis equeſtribus nunquam vacavit? Quomodo jaculandi imperitus, eos, qui peritiam hujus artis habent, ſe ſuperaturum præſumat? Quomodo, qui rationem gubernandæ navis nunquam didicit, naves ſe ſervaturum animum inducat ſuum? Recté itaq; cum Xenophonte noſtro concludimus nefas eſſe talia â DEO precari, & παρὰ τοὺς τῶν θεῶν θεσμοὺς παντα ταῦτα εἶναι, *contra divinas leges hæc omnia eſſe.* Etſi enim DEUS ex ſuâ benignitate omnia nobis largitur, non tamen id ſine nobis, cum noſtram quoq; operam intervenire velit: quomodo veró interveniat, ſi imperiti talium operarum ſimus, quibus, quod ſuſceptum nobis eſt, perficiendum fuerit? Itaq; licet de DEI facilitate in exaudiendis precibus nihil non polliceri nobis debeamus; non tamen in ſpem ſibi quidquam referat, qui inepta petit, & quæ iis congrua non ſunt, quæ agit, aut poſſe agere videtur. Sicut enim qui iniqua ab amico petit, repulſam patitur; plané eodem

dem modo qui, quæ fas optare non eſt, â Deo petunt, nihil eorum impetrant.

IV. Stichc Deniq; ut proſperé, quæ agas, ſuccedant, ſtudio & labori non eſt parcendum. Ut *optata eveniant*, inquit ille apud Comicum, *operam addito*. Neq; enim ſufficit, ut quis rationem rei bené gerendæ calleat, niſi etiam, quæ novit, facto exſequatur. ἐυήθεια μοί φαίνεται, inquit Menander, δηλουμένη, τὸ νοεῖν μέν ὅσα δεῖ, μὴ φυλάττεσθαι θ' ἃ δεῖ. *Stultitia manifeſta mihi videtur, noſſe quæcunq; oportet, non vero facere quæ oportet.*

Lib. 1 c. 6. Ἀλλ' αἱ μύξαι μου ῥέουσι, *muccus mihi ê naribus effluit*, queritur natio delicatorum apud Epictetum At quid reſponſi accipiunt á ſapiente Stoico? Cur verò manus habes, ô mancipium? nonne ut emungas? Nimirum ipſa natura organa nobis largita eſt, quibus neceſſariis operationibus defungi poſſemus, ut nihil nobis per deſidiam boni obventurum doceret. Cumq; ocium & inertia animum corrumpat, & omnis generis vitia in deſidioſé agentibus pullutent, non ſecus atq;

Hor. 1. Sat. 3. *Neglectis urenda filix innaſcitur herbis;*

DEUS omnes nos ad noſtram ipſorum ſalutem

tem

tem, aſſiduis laboribus vult exerceri. Itaq́; quocunq́; te convertas labore cuncta perſtrepere videbis: viget in caſtris, in roſtris, in curiis: non aſpernatur tuguria, non refugit palatia: multus eſt in nemore, major in agris, maximus in pelago: ſive domi, ſive peregrè agas, te ut umbra ſeqvuntur omnis generis moleſtiæ, imó *caput & circa ſaliunt latus*. Nemo igitur tam delicatus ſit, qui inde ſe exemtum velit, quod urget uuiverſos: nemo illud ſubterfugere expetat, quod felicitatis ſuæ materiam eſſe intelligit.

Τὰς τύχας ἐκ τῶν πόνων θηρᾶν, proſperitatem ex laboribus venari jubet Euripides: ſiquidem πεπόντων πόνων πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τ' ἀγαθὰ οἱ θεοί, *Laboribus omnia bona nobis Dii vendunt. Næ* igitur *illi*, verbis Saluſtii, *falſi ſunt, qui diverſiſſimas res pariter expectant, ignaviæ voluptatem, & præmia virtutis*. Profecto qui tales ſunt, perinde faciunt, ac ſi, qui ſementem facere negligant, copioſam veró meſſem ſibi polliceantur: aut qui in conflictu verſetur acerrimo, & temerè proruens, nihilq́; ſibi cavens, ſalutem â Deo petere non dubitet. Fruſtra, qui piger eſt, Deum invocat, nec divinis promiſſionibus recté nititur,

In Iugurtha.

O qui

qui Dei omnipotentiam & bonitatem suæ patrocinari ignaviæ petat. Itaq; noster alibi Xenophon hujusmodi talibus, qui sibi ipsis præclaros labores præcipere reparcunt, verissimè denunciat; Deum justissimo judicio alios impositurum, qui ipsis præcipiant & servitute premant. Verum huic labori diligentia & cura quædam accedat necesse est. Non enim omnis qui laborat, probandus est, sed qui labori suo comitem addit solertiam. Temerè namq; agere, aut nimis cupidè, & à labore supersedere, in æquo ponendum esse statuo. *Etenim temeritas*, quod ex Livio hausimus, *præterquam quod stulta est, etiam infelix est: at festinatio improvida est, & cæca.* Itaq; ibidem prudenter Fabius cunctator Paulum consulem monet: *omnia*, inquit, *audentem contemnet Hannibal, nil temerè agentem metuet.* *Quam enim rem accures sobriè & frugaliter, solet illa rectè sub manus succedere: nec quicquam est, quod non expugnet pertinax opera, & intenta ac diligens cura.* Ex his quæ dicta sunt hactenus, rectè nos inferre posse videmur, qui sincero animo negotium quodpiam, quod nec à pietate, nec ab honestate

Libr. 2. κυρουπαι. ὁ θεός οὕτω πως ἐποίησε τοῖς μὴ θέλουσιν ἑαυτοῖς προστάττειν ἐκπονεῖν τ᾽ἀγαθὰ ἄλλους αὐτοῖς ἐπιτακτῆρας δίδωσι

Lib. 22.

Plaut. Persa.

Sen. Epist. 51.

alienum eſt piis precibus auſpicatur, ejusq́; gerendi modum ac rationem tenet, nec ſuo labori & induſtriæ parcit, cum de proſpero ſucceſſu nihil non ſibi polliceri poſſe.

Nunc quod ſupereſt, ad Celſitudinem tuam, Dux illuſtriſſime, totum me converto, animumq́; tuum generoſiſſimum ampliſſimâ ſpe incendere non dubito. Quod nunc Celſitudo tua negocium, in inſtaurandâ ducali ac longè antiquiſſimâ Scholâ, ſuſcipit; reverâ eſt multo maximum, ac

periculoſæ plenum opus aleæ: Hor. 2. Od. 1.

quod initia in manu quidem noſtrâ ſunt, eventus ab ipſo Deo, penes quem ſunt omnia, expectandus eſt: verùm ex his, quæ in medium prolata ſunt, ab ethnico quidem prudentiſſimo accepta, ſed ab orthodoxâ pietate nihil omnino deviantia, Celſitudini tuæ optima quæq́; polliceor, ac publicâ denunciatione confirmo: Deus qui hanc tam præclaram mentem inſpiravit, ſucceſſum etiam largietur proſperum & exoptatum. Si enim ipſum Opus per ſe ſpectamus, pium eſt, & ſalutare: cum officina hîc aperiatur, in quâ juventus ad divinam & humanam ſapientiam excoli

& informari debet, ut deinceps verè de hac ducali Aurimontanâ noſtrâ Poëtæ illud gloriari poterimus:

Aristoph. in Nubibus ℣. 94.

ψυχῶν σοφῶν τοῦτ᾽ ἐστὶ φροντιστήριον.

Iſta ſapientum eſt officina mentium.

Quod ſi verò illuſtriſſimam tuam mentem attendimus, quâ hoc opus ſuſcipitur, ſinceriſſimam eam deprehendimus, & plenam devotionis: cùm id unicum ſpectet, ut ad DEI gloriam, ad ſalutem & Eccleſiæ & reipub. optima pars generis humani, flos juventutis & pueritiæ hîc quam rectiſſimè inſtituatur: ut ſemina hîc ſobriè ſpargantur cœleſtis & divinæ ſapientiæ, undè lætiſſima ſurgat ſeges, & fructus metantur uberrimi, qui ſe longè lateq; diffundentes, Eccleſiis doctores, rebuspub. defenſores, principibus conſultores præbeant doctiſſimos, qui curiis ſufficiant magiſtratus, urbibus cives bonos, ipſis etiam ſcholis magiſtros: qui deniq; à libellis, à rationibus, à negotiis homines, & ad quamvis humanæ ſocietatis partē viros ſubminiſtrent aptiſſimos, & apprimè utiles. Dignum profectò opus Principe, & Principe pio ac ſalutari, qui omnibus prodeſſe, omnia ad ſalutem publicam, ad divini nominis gloriam diri-

gere unicè laborat. Pausanias Adrianum Imperatorem, quem suâ ætate imperium tenuisse scribit, duabus rebus commendat (*In Atticis f. 5.*) τῆς τε τὸ θεῖον τιμῆς ἐπὶ πλεῖστον ἐλθόντα, καὶ τῶν ἀρχομένων εἰς εὐδαιμονίαν τὰ μέγιστα ἑκάστοις παρεχόμενον, quod *Numen religiosissimè coluerit, & felicitati singulorum ex subditis quàm maximè consuluerit.* Utrumq; Celsissime Princeps, hoc ipso facto de te possum. Non ipse modo tuam pietatem Deo approbas; sed ad piam etiam institutionem juventutis ducale instauras φροντιστήριον: in quo, dum ad omnes præclaras in vitâ actiones educabūtur adolescentes, nō modo piæ devotionis publicū proponis documentum, sed & felicitati tuorum subditorum unicè prospectum cupis: Etenim tanta vis est rectæ liberorū, *dum genua virent*, educationis, ut in (*2. Eth. 1.*) eâ omnia ponere Aristoteles non dubitarit: Socrates verò curæ rei familiaris hanc ipsam curam pro benè educandis liberis præferat. Nec (*Apud Platonem in Lachete 248. & in Clitoph. 255.*) mirum: illa quippe φύσεις ἀγαθὰς ἐμποιεῖ, si Platoni credimus, ut indolem deteriorem corrigat, bonam etiam meliorem reddat. Quomodo igitur? illustrissime Domine, dum rectæ educationi adolescentum nobilium &

plebejorum, & qui tuarum sunt ditionum, & qui extra eas, benignè hac in parte prospicis, nonne salutis omnium & singulorum heroico planè animo te rationem habere fatendum fuerit? Atq; hoc præstantius tuum est beneficium, quod non præsentem solummodo felicitatem tuorum Ducatuum ac ditionum sollicitudine tuâ is promotum; sed in longitudinem etiam consulis, & quod secuturum juvet ævum tuâ providentiâ complecteris. Multa quidem in felicissimâ ac saluberrimâ tuâ gubernatione paternæ curæ, quâ ditioni tuæ subjectos complecteris, documenta extant: verum hoc mihi verè dicere videor, & pace dicam tuâ, nullum ex omnibus manifestius edidisti, quàm quod hodierno die velut signũ quoddam omnibus conspiciendum extulisti. Quæ enim in laudabili tuâ gubernatione salutariter constituisti, ad felicitatem pertinent eorum, qui nunc sunt; quod verò nunc opus perficis, ad salutem etiam spectat posterorum, & qui post nos futuri sunt. Nam dum collapsam hanc Scholam erigis, dum educationi consulis juventutis, velut semina spargis ubertimæ messis, quæ sequentibus temporibus

quàm

quàm plurimos exhilarabit, & fructus suos ad posteritatem, si qua fuerit, extendet, latissimeq; diffundet. Itaq; ut in auspicatissima tua gubernatione non omnes fortasse patrium tuum affectum agnoscant, aut si non nemo etiam meritissimis tuis laudibus quoquo modo obstrepere, verbisq; extenuare animo improbo, ac furiosissimo præsumat: profectò quam hîc adeptus fueris adoream, vigebit memoriâ semper recenti, nec ullius hominis invidiæ, aut suggillationi futura est obnoxia; sed integra semper, sed virens, sed florida ad seram posteritatem transmittetur & conservabitur. Quid? quod hoc ipso Aurimontium tuam afflictissimam peculiariter recreas ac reficis? Etenim illa cum malis suis fatalibus diu multumq; luctata, & plagâ subinde reciprocante dejecta, ac modo non eversa, ipsa sui immemor velut conclamata jacuit hactenus: at hoc ipso demum die oculos primum attollere, & de suâ salute melius sperare incipit. Itaq; cum Celsitudini tuæ hactenus ut Principi ac Domino suo animo subjectissimo serviverit; nunc ut benignissimum Patrem, ut salutare sydus cælo demis-

sum.

ſum amat, & adorat: atq; ad pedes tuos devoluta, per me tibi animo humilimo gratias agit, quod pio ſtudio vetuſtiſſimũ hoc gymnaſium, cum ſecum ex cineribus excitaris, nunc ad priſtinum ſplendorem reductum, & hoc ſe ornamento eximio & ad plurimorum felicitatem adjumento erectum velis.

Quàm diu, inquit, in ruderibus ſuis jacuit Schola, ipſa quoq; miſerè proſtrata inexplicabili morbo conflictata ſum, nec ſpes ulla mei erigendi fuit reliqua: nunc verò cum liberalitate illuſtriſſimi Patris patriæ fundamenta tanti operis præclarè jacta videam, à diuturno languore aliquo modo refecta, melius in poſterum de me, & incolumitate meâ non abs re ſperare animum induco. Hoc igitur, inquit illa, tanto beneficio à Celſitudine tuâ affecta, pro ſalute & incolumitate tuâ, atq; ut hoc tam inſigne ac ducali ſplendore dignum opus felicem ac proſperum ſucceſſum cælitus ſortiatur, devoto animo Deo noſtro ſupplicare nunquam intermittam. Hæc ſi verbis ad te, Princeps illuſtriſſime, omnes non audent, tacita tamen vota ſunt ſingulorum: & hæc omnium nomine me agere

volunt,

volunt, qui me communi Patriæ autoritate ducali quaſi poſtliminio redditum gaudent. Quis igitur erit, qui de hoc tam præclaro opere non optimè ominetur? cum videat glorioſum id eſſe ipſi Principi, multis modis utile univerſis, commodum Eccleſiæ, ſalutare reipub. omni ex parte Dei gloriæ deſtinatum. Perge, ut cæpiſti, præſtantiſſime heros, & pio ac patrio animo complecti non deſine hanc ſurgentis juventutis nutriculam, hoc cæleſtis paradyſi, hoc Eccleſiæ, hoc reipub. ſeminarium: à ſolitudine ad priſtinum ſplendorem, ad copioſiſſimam frequentiam, quâ licet, evehe & extolle: neq; hic liberalitas tua principe digna defatigetur, aut ſiſtatur? cum *nullum ſit*, verbis Plinii ſecundi, *magno principe, immortalitatemq; merituro impendii genus dignius, quàm quod erogatur in poſteros*: nec quæ in rem bonam ac ſalutarem impenſæ fiunt, pereunt, & divina benedictio pios, & humano generi profuturos conatus nunquam deſtituit. Ergo cum ipſum opus, Celſiſſime Princeps quod nunc agitur, ſpectas, de proſpero ſucceſſu rectè ſperare debes: cum verò quos huic operi perficiẽdo præfeciſti, conſideras, ecquid dubitabis?

Panegyrico ad Trajanum.

P

dubitabis? profecto nullo modo. Ut enim de ingeniis, de eruditione, de industriâ nostrâ nihil intempestivè glorier, hoc unicum dico, eos conduxisti homines, qui harum operarum, quibus se addixerunt, non sunt imperiti: quiq; in laboribus subeundis sedulitatem, in tolerandis constantiam, in perficiendis industriam suam multis documentis approbarunt. Quæ igitur didicerunt, ut possint, quæ exercuerunt, ut rectè possint, in quibus immorati sunt, ut constanter possint, hæc omnia ad instaurandam ducalem Aurimontanam animis promptis, sedulis, industriis conferent, & impendent. Ipse certè, quidquid ingenio possum, labore, contentione, vigilantia, industriâ, fide, idipsum ad hasce operas Celsitudini tuæ prolixè promitto, ac sanctè præstabo: hoc ut faciam, pietas exigit, quam DEO debeo; postulat fides, qua obligatus sum optimo Principi; Patria verò, amorq;, quo me sibi devinxit, à me extorquet. Neq; ullus dubito, quin ducali favore, defensione, ac patrocinio, ut totam Scholam, sic me quoq;, qui evocanti parui, benignè sis complexurus: atq; ut facias, humili animi subjectione obsecro

atq;

atq; obteſtor. Spem tuam, illuſtriſſime Princeps, confirmavi nunc etiam ex peritiâ rei gerendæ eorum, quos ad hoc opus delegiſti, & ex eorundem ſedulitate, ac laborum tolerantiâ: verum non eſt, quod quiſquam putet, ita nos niti induſtriâ noſtrâ, ut non ſuccurrat, quod D. Marcus Imp. ſcripſit, rectam *Lib. 2.* inſtitutionem divino auxilio, bonâq; fortuna indigere: & quod ſapientiſſimus rex prodi- *Eccles. 9.* dit, non eſſe levium curſum, neq; robuſtorum *ỳ. 15.* prælium, neq; peritorum gratiam. Itaq; huic noſtræ induſtriæ dirigendæ gubernatorem advocamus Deum optimum maximum, cujus benignitas navi huic felicem dabit curſum, ut rectam teneat, & in optatum portum impellatur. Et quoniam pietatis cura ſumma debet eſſe in educatione juventutis, ita nos fidei noſtræ concreditos ad veram pietatem edocebimus, ut non ipſi noſtro exemplo omnem in illis pietatem exſtinguamus. Etenim *ut in corporibus.* (verba ſunt Plinii) *ſic* *Lib. 4.* *in imperio graviſsimus eſt morbus, qui à capite* *Epiſt. 22.* *diffunditur:* ſed ita integritate & innocentiâ fidei noſtræ documenta edemus, ut noſtros noſtro exemplo ad ejuſdem pietatis partici-

pationem præclaré invitemus. *Exemplo* enim
Lib. 8. κυροπ. *discere* ἄυτη ἀρίστη διδασκαλία, ut meus loquitur Xenophon, *optima est discendi & docendi ratio:* at vero contra ψυχρὸν, inquit Isidorus Pelusiota, καὶ γελοῖον, καὶ ἄχαρι ἄλλους πειρᾶσθαι ἰᾶσθαι ἑαυτὸν δὲ παρορᾶν ἀσθενοῦντα. *frigidum & ridiculum, & expers gratiæ est, aliis mederi velle, seipsum ægrum negligere.* Hoc igitur si evitaverimus, labores nostri DEO probabuntur, & ipse suavissimam auram navi nostræ aspirabit, ut optatum cursum teneat, nec adversis procellis opprimatur, aut violenter reprimatur. Hoc ut fiat,

Te æterne Pater per Christum filium tuum Mediatorem ac Dominum nostrum invoco, & animo humili veneror, ut hunc locum, quem delegisti, qui veritatis tuæ propagandæ seminarium esset, nunc diu desolatum ac desertum, benignè respicias, & porrò etiam officinam veræ pietatis esse velis. Perpurga, innova, & sanctifica per Spiritum Sanctum tuum omnia, ut tibi grata, multis salutaria hîc doceantur, discantur ac fiant. Serva nobis in multam ætatem salutare sydus, quod dedisti, pium Principem, serva animum,

quem

quem inspirasti, ut suâ munificentiâ hæc alvearia nostra animo verè paterno complectatur, foveat, extollat: ut in cursu institutæ rei, quæ cælo accepta, terris salutaris ac necessaria est, gnaviter pergat, nec unquam defatigetur. Concede nobis, qui juventuti præsumus prosperum in docendo & regendo successum, largire animum & cupiditatem, ut velimus; suffice vires & industriam, ut possimus. Averte dissidia, quæ turbant, prohibe pestem & contagiosos morbos, qui dissipant, profliga osores, qui impediunt, perde hostes, & feros sues, qui evertunt hortulum hunc cælestium plantarum. Da ut in concordiâ & tranquillitate hunc ipsum hortulum feliciter conseramus plurimis ac frugiferis plantulis, à quibus tuũ nomen in his terris agnoscatur, colatur, celebretur, & in secuturâ vitâ æternis laudibus prædicetur, efferatur, decantetur. Amen.

DIXI.

Illustriss. AURIMONTANÆ RECTOR ET COLLEGÆ LECTURIS S.

Πόλεως ψυχὴν εἶναι τοὺς νόμους * Dixit Atticæ eloquentiæ Princeps. Ὥσπερ γὰρ τὸ σῶμα στερηθὲν ψυχῆς πίπτει: οὕτω καὶ πόλις μὴ ὄντων νόμων, οὐχ ἵσταται. Cum appositè Civitatem cum Corpore; leges cum Animâ comparet: nos simili merito Scholam cum Civitate; Ordinem cum Legibus eodem ambulare passu dicemus. Enimverò ut in Corpore; sic in quavis Republ. facilè membra in cadaver aut funus abeunt: si à Legibus & Ordine destituantur. Quod ne nostræ etiam Reipubl. (quantulamcunq; eam post immanes antiqui illius AurimontI ruinas superstitare DEUS vult) eveniret: Principali jussu & auctoritate universum corpusculum tandem in ordinem redigendum; Leges & Oeconomia ejus constituenda; & operarum Scholasticarum diæta recensenda fuit. Sic suos Veteranos pugnaturientes olim Achaici

* Civitatis animam esse Leges. Ut enim corpus anima privum corruit: sic civitas destituta Legibus non consistit: Demost. apud Stob. λόγῳ μδ.

Ἡγεμόνες διεκόσμεον ἔνθα καὶ ἔνθα. *

Sic nos, quod bene vertat, hac διακοσμήσει * Tyrones sive Cives nostros primùm instruimus.

* Duces ordinabant hic atq; illic. Hom. Iliad. β.

* Ordinatione

IN SUM-

In Summa Classe
habebuntur

	Hora	mediâ VII	VII.	IIX.	XII	I.	II.
Die	☾	Hymnus lectio biblica & preces matutinæ.	Grammatica Latina.	Grammatica Græc.	MUSICA	Sleidani IV. monarch.	Xenophon.
	♂					Ovidl Metamorph.	Epigramm. Græca.
	☿		Exercitium stili sol.			Extra ord. Exercitia.	
	♃		Dialectica.	Rhetorica		Exercitium Dialecticũ.	Oratio. Cic.
	♀		Orat. Cic.	Ovid.Met.		Institut. Juris.	Examen Phil. Melanch.
	♄		Evãgelium	Poëtica Exercitia.		Extraord. exercitia.	

In Media Classe
habebuntur.

	Hora	mediâ VII	VII	IIX	XII	I	II
Die	☾	Hymnus lectio Biblior. & precesmatutinæ.	Etymolog. Præcepta	Epistolæ Ciceron.	MUSICA	Repetitio lecti	Exercitium stili è
	♂						
	☿		Lectio Græca.	Exercit. stili.			
	♃		Syntaxeos Præcepta.	Disticha Cat. vel loci com. Murmelii.		onis ante-meridianæ	Lectione antemerid.
	♀						
	♄		Cateclef. Luth.	Evangel. Græc.			

Ratio Ordinis
In Prima Classe.

Cum duobus Doctrina omnis absolvatur: Regulis & Exemplis: operam dedimus: ut dieb. ☾ & ♂ ejus artis, quæ horis antemerid. auditur, à meridie Exempla in Auctoribus utriusq; linguæ subderentur. Die quidem ☾ Historici: inter quos Sleidani Monarchiæ: ut unâ fideliâ duo parietes dealbentur: id est, ut & historico stili generi maturè adsvescant Auditores: & ejus disciplinæ principia velut cum lacte Grammatico hauriant. Adjuncta Cyropædia Xenophontéa: cum quod moralis, tum quod Principis Monarchiæ quædam delibet; alterius incunabula ponat. Die ♂ ut vorsa prorsis succedant, Poëtæ utriusq; linguæ habentur pro Exemplo. Ovidii Metamorphosis ob eam electa potissimum causam: cum quod carmen perpetuum sit; id est, Poëticarum fabellarum seriem, instar Historiæ ab ovo usq;, stilo facili & delectabili deducat: tum etiam quod inde velut ex immenso Oceano multifariæ prudentiæ rivuli in omnem vitam (cujus universalis quædam idea est) exundent.

Die ♃ Dialectica & Rhetorica Exempla sumunt; illa quidem ab Exercitio aliquo Logico; hæc ab Oratione Ciceronianâ.

Die verò ♀ horis matutinis præcedentium artium Exempla repetuntur: alterum in soluta, Oratio Ciceroniana: alterum in ligata, Metamorphosis Ovidiana: cui postmodum Virgilius, Horatius & alii commodum succenturiari possunt. Pomeridianarum horarum (ut facultatum, quas vocant, prægustum aliquem capiant Juniores) prima Institutionibus Juris; altera Examini Philippéo est destinata.

In Secunda Classe.

Ne onerarentur Juniores, hac ratione cautum est. Diebus ☾ & ♂ præcepta Etymologica; Diebus ♃ & ♀ Syntactica primis horis inculcantur. Sequentibus dierum horis Exempla præceptorum, in solutâ unum; alterum in ligatâ (ubi obiter præcepta Prosodica traduntur & exercentur) subjiciuntur: ac inde stili Exercitium desumitur. Græca autem singulari sanè ratione instillantur.

In Infima Classe habebuntur:

Ante Septimam Hymnus, Preces, Psalmus recitatus. Dieb. ☾ ♂ ♃ ♀ hor. VII. VIII. antemerid. I. II. pomerid. Collectio literarum: Lectio, Donatus cum unâ & alterâ voculâ memoriter servatâ. Horâ XII. literarũ pingendarum exercitiũ. Die ☿ horis matut. Catechetica. Die Sabbati Evangelium & Rosarium.

Exercitiorum per Classes haberi consuetorum, universim hæc esto σύνοψις.

- Exercitia
  - Animi
    - ordinaria
      - quotidiana
        - Stili soluti.
        - Musices
          - Vocalis.
          - Organicæ.
      - intervallata
        - Hebdomadaria, stili
          - soluti
          - ligati.
        - Menstrua, quales præmiis destinatæ velitatiunculæ.
    - Extraordinaria Actus
      - Simplex, Recitatio.
      - Operosus
        - Disputatorius
          - Subitus.
          - Solennis.
        - Oratorius
          - unius aut alterius etiam, Declamatio.
          - pluriũ Personarum
            - ἄσκλιω[illegible]
              - Forensis
                - Consultorius.
                - Judicialis.
              - Historicus.
            - Scenicus
              - Simplex
                - Comœdia.
                - Tragœdia.
              - Mistus, quales Pastorales & aliæ Tragicomœdiæ.
  - Corporis
    - Leviora
      - Deambulatio.
      - motoria
        - cursus.
        - pila.
    - accuratiora, cujusmodi Ill. Princeps esse voluerit.

*ILlud verò ὡς παρέργως * indigitamus: si Respubl. hæc literaria uberius frequentari cœperit: non tantum Exoticarum lingvarum hortos; & penitioris Philosophiæ adyta aperiemus: sed insuper πρόσχημα * quoddam & simulacrum Politiæ adornabimus, ad exemplar veteris Romanæ commodissimè institutum: in quo tam Civium ordines, Senatorius, Equestris, Plebejus definiantur; quàm functiones etiam singulorum, more & formulâ veterum, administrentur.*

* obiter

* prælu-dium

*Quod si Exercitiis propitium ἀπὸ μηχανῆς * Numen adfulserit: nibil ad εὐσχημοσύνην * Politiæ consummandam defuturum speramus.*

* è ma-chinâ

* deco-rem

GRæci, cum innumerabiles insani Persæ copias, quibus ceu diluvione obruebantur, partim masculâ virtute fugassent, partim concidissent, etiam castris Hostium potiti; eum diem veluti libertatis suæ natalem venerati; & de victimis, votisq; solvendis soliciti; ne festum Persico, id est, barbaro, profano & impio igne contaminarent; omnes focos exstinxerunt: novumq; intaminatum & sacrum ignem Delphis in castra apportari curarunt.

Plut. Themist.

Excitemur infidelium solicitudine nos fideles. Postquam hic locus, fato Musis debitus, non quidem hostili injuriâ; sed inundatione inauditâ, incendio horribili, peste pestilentissimâ desolatus, nunc demum Numinis nutu; favore & munificentia Serenissimi Principis nostri reconvalescens, de tot damnis, de interitu ipso triumphat: exstincto & funditus deleto Barbariei & Vitiorum igni; novam cælitus hauriamus flammam, ex igniario Sancti Spiritus: qui igneo simulacro, Lingvarum & Sapientiæ Dona Apostolis communicavit: qui adhuc calore suo divino, artium semina fovet, & in messem uberrimam con-

servat. Quo animo si tam Docentes, quàm Discentes fuerint: non modò initia Scholæ, cum Christo Servatore, & ipsâ rerum Naturâ resurgentis, seseq. Phœnicis instar, à busto innovantis, bene habebunt: sed incrementa etiam, & successus indies prosperiores experiemur.

Quod Jehova opt. max. ratum faxit: vivant, vivant Chrysoreades Camenæ.

Εἰαριναὶ, λειμωνιάδες, πολυάνθεμοι, ἁγναί. * *Bene valete. PP. Festo Dominicæ Resurrect.*

A. Ep. Chr. CIƆ.D CXX.

* Vernæ, pratenses, florentes undiq; Puræ. Orph. Hymn.

Quod felix faustumq; sit: *è Serenissimi Principis nomine sit omen.*

GEORGIUS RUDOLPHUS DUX SILESIÆ LIGNICENSIS ET BREGENSIS.

ἀναγραμμ.

Tui, Schola Goldbergensis, Genii spes vernilis, Dux. Eisurges.

PEstis, & infaustis afflicta annona sub astris,
Diluvio auriferi prodigiosa vadi,

Deniq;

Deniq; quæ cunctis æquanda est horrida pœnis,
Flamma Urbem, & celebrem est depopulata Scholam.
Non pateris, Princeps, *cinefacti rudera Ludi,*
Auctoris famam dissimulare sui.
Deformata, Solo, fuit olim Smyrna, movente:
Cæsaris at potuit restituisse favor.
Si Mausoleum potuere extendere nomen
Uxoris fidâ marmora structa manu:
Siq; opus haud passum est, Phariorum nomina Regum
Lethéo perdi pyramidale lacu:
Ardua Majorum cur hæc monimenta tuorum,
Obruta deformi sic paterere rogo?
Fama refert si vera; Pelops sic coctus in ollâ,
Vividiora, Jovis munere, membra capit.
Pênea Neptunus grandi violavit hiatu:
Augmento ut fierent Tempea clara novo.
Quis dubitet variis quoq; Chrysorin esse ruinis
Defunctam, ut surgat cultior & melior?
Surge bonis avibus, Schola Goldbergensis: *adest Ver,*
Dux cum Vere, Gen I *spesq; decusq; tui.*
Semper ei surges. Fuit unicus, ecce, novare
Qui lapsas fato res meliore queat.

L. M. Q. F.

MELIDEUS.

PRO
Felici instauratione

ILLUSTRIS GYMNASII AURIMONTANI

Carmen votivum.

UT patris, in dulces cui nuper luminis auras
Casta tori consors Lucinæ experta favorem
Ediderat carum generis solatia natum,
Inter sollicitas est cura potißima curas;
Qvî rectè in primâ mox adsvetudine vitæ
Educet hunc, dociliq́; subinde instillet ephebo
Musarum latices, & pulchri semina Veri:
Ne si non vana accedat cultura regentis,
Torpida vel somno, vel turpi exercita luxu
Concidat adsurgens pubente in pectore virtus,
Immanemq́; notam venientibus adferat annis;
Sed contrà ut studiis operata salubribus illum
Exæqvet probitate bonis, cultâ indole doctis.
Sic Princeps, terræ cui jus, animumq́; regendæ
Indulsit favor æthereus, præcordia circum
Ejus si stimulet pietas adstricta fideli
Principis Æterni obseqvio, si conscia mentem
Thyrso agitat Themis, & sanctæ reverentia famæ,
Præcipuas, Auguste, tuis virtutibus amplis

Æmulus

Æmulus impendit curas, & præmia Musis.
Qvippe boni patris à Genio non dispare Princeps
Est Genio, (velut ad Persen vox scita Chrysantæ est,)
Et qvalem veteres patriæ *dixere* parentem.

Tu quoq; Tu talis, LIGIÆ DUX *inclute Gentis,*
SILESIÆ *decus immortale,* GEORGE-RUDOLPHE,
Herous sangvis de heroö sangvine Regum,
Qvi, quam Progenitor Tuus ille, piissimus ille
DUX *quondam* JOACHIM-FRIDERICUS, *in æthere celso*
Nunc jubar æternum, felici Numinis aurâ
Sacravit Musis, & amatis artibus ædem
CHRYSOREAS *inter valles, moliris eandem*
Instaurare *novo, & qvantum expedit, ubere censu,*
Palladii *illustrem fabricam; qvo stante beatis*
Troja stetit Phrygibus, qvo stante SILESIA *floret.*

Macte animo hoc, PRINCEPS, *macte hac inde- fide curâ!*
Propria quæ vestro Generi est, quæ Regia cura est,
Qvam non excutiant Tibi mille negotia curam.
Auguror, & pariter, si qvid veri auguror, opto;
Hoc opus, hoc studium, hæc augustæ impendia curæ
Effusura ut Amalthéæ de divite cornu
In patriæ gremium omnigenæ preciosa salutis,
Et quovis ævo vernantum germina laudum.

Epi-

Epigramma.
De
GOLDBERGA.

QVondam Auri, nunc Musarum GOLDBERGA *repertrix,*
Aurea sis, auro quæ meliora paris:
Aurea sis, cæleste coquis quæ pectoris aurum,
Aurea sis, mores quæ colis aureolos:
Aurea sis, quæ rursùm aperis templa aurea Musis,
Aurea sis, aurum denuò quæ fodias:
Aurea sis, bene quam fortunæ rivus inauret,
Aurea sis, cui cæli aurea castra favent:
Aurea, cui LIGII DUCIS *aurea* Gratia *præstò est;*
Aurea sæcla DUCIS Gratia *sola facit.*

SWIDNICI
L. M. Q. F.
MELCHIOR AGRICOLA SIL.
PHILOLOGUS & P. L.